CONCIONES TRES

Apud Academicos *Oxonii*

Nuper Habitæ,

Quibus Subjungitur

BREVIS TRACTATUS

De Jure Divino

DIEI DOMINICI.

AUTHORE,

HENRICO WILKINSON

S. T. D. & *Aul. Magd. Princip.*

2 Cor: 5. 14.

Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς.

OXONII

Excudebat *L. Lichfield* Academiæ Typog.

Impensis *T. Robinson* 1654.

VIRO HONORATISSIMO,
D. GULIELMO GRAY
BARONI DE WARKE

Χάρις καὶ Εἰρήνη.

HEROS NOBILISSIME

QUOTIES *multis nominibus me tibi obæratum perſentiſco, (ne viverem & morerer ingratus) toties mecum reputo, qua tandem ratione aliqua nondum emorituræ gratitudinis monumenta apud te reponerem, poſteris*

ris tranſmittenda. At, at ex impro-viſo ſeſe res offert,

Amphoram inſtitui, ſed currente
rota exiit Urceus.

Te haudquaquam latet, nec tempus edax rerum tantorum memoriam beneficiorum unquam attriverit, nempe quod tua imprimis fretus ope ſubſidiaria, tuoq; Patrocinio, (cum res meæ quales quantulæcunq; fuerint, in anguſto eſſent, aut prorſus imminutæ Bello graſſante) apud Epingiam in Comitatu Eſſexiæ *ipſe paſtorali curæ præficiebar: ubi ne deeſſem familiæ meæ ſuppeditā-dæ, nec (quod præcipuũ mihi in votis fuit) deeſſem muneri miniſtri Evangelici obeundo (quo nomine haud parum ſoleo gloriari) per quinquennium oblata fuit mihi grata opportunitas. Quibus elapſis annis, non ſine ſpeciali Dei Opt. Max. Providentia,* Oxonium *revertebar, ubi adhuc*

huc dego (Deo Gratias) Præfectorum & Concionatorum ultimus, minimus. Ex quo, humanitatem, Candorem, φιλοξενίαν, reliquaque Benignitatis veſtræ ſpecimina erga me, mœſque cum Affines, tum Conſanguineos, non poſſum mihimet ipſi temperare, quominus gratanter agnoſcam, ſuſpiciam, venererq;. Quoties mihi contigerit te reviſere, plane ſentio ſummam Nobilitatem ſummâ cum humanitate conjunctam, teq; Academiarum vindicem, Literarum fautorem, nec non Miniſterii Evangelici ὑπερασπιστὴν plane videor mihi intelligere, & facilè polliceri. Utinam hæc ætas plurimorum tui conſimilium Proventu magis magiſq; indies glorietur. Tanto aſſurgo nomini, eiq; quam fœliciſſime conſultum iri vehementer efflagito. Quocirca ut aliquot adumbrem gratiarum

teſſerulas, impar licet omnino ſim gratiis referendis, viſum eſt mihi haſce tres Conciones, una cum brevi Tractatu de Jure Divino Diei Dominici, *publici juris facere, tuoq; nomini nuncupare. Non eſt, ut aliquantillum apud me ambigatur, quin pro innato tui animi Candore ſis dignaturus* haſce Authoris Primitias *publica luce donatas perluſtrare, necnon æqui boniq; conſulere. Quamvis limata defuerit eloquentia, Gracchorumq; facetiæ, nec vola nec veſtigium vocabulorum novaturientium apparuerit; Utcumq; tamen Scripta noſtra (qualia, qualia ſunt) obſequium, Zelum (quæ infinitis certe partibus mallem) & Amorem integerrimum erga* Eccleſiam Dei, Eccleſiæ Miniſtros fideles, *& utramq; redolent* Academiam, *cum divinio-rum tum humaniorum literarum officinas. Quod ſupereſt, unico mani-*

pulo

pulo ſummam votorum meorum complectar, nimirum quæ fauſta & fœlicia ſunt omnia ad utramq; vitã ſpectantia, Tibi, Conjugi, Heroinæ Lectiſſimæ, Filiis & Filiabus, Heroicis tuæ Familiæ Igniculis, animitus apprecando,

Multiplici Obſervantiæ

nexu obæratus

Oxonii Dabam è Muſæolo meo in Aula Magdalenæ Junii 28. 1654.

Henricus Wilkinſon.

Typographus Lectori.

SI Accentus, Comma, Colon, vel Periodus omittantur, vel id genus leviora occurrant feſtinantis Preli παρεράματα, tuam rogatam velim Indulgentiam: Graviora quod attinet, exhibeo tibi indiculum ut videre eſt.

Errata Corrigenda.

PAg. 45. lin. 21. *lege* viros: p. 51. l. 23. donaturus: p. 78. l. 2. tranſmittatur: p. 94. l. 20. officio: p. 96. l. 9. optime: *ibid.* l. 19- *dele* pretium: p. 104. l. 21. ſempiternam: p. 112. l. Wormatiam: p. 113. l. 24. *del.* uſq; *ib.* l. 26. Ne: *ib.* 28. Deum. & Paginarum numerus poſt 64 corrigendus eſt, & ſic deinceps.

CONC. I.

Ad Baccal. Die Cinerum Martii 3. 1651.

PSALMO 119. v. 9. Sic ſcriptum legimus.

Quomodo purificabit Adoleſcens ſemitam ſuam? Obſervando eam, ſecundum verbum tuum.

NON mihi in animo eſt, in proæmiali limine immorari, de Amanuenſe, & ſingulorum Pſalmorum Digeſtore, ſcrupulum vobis haud neceſſarium injecturo. Authores

 ſunt

ſunt *Athanaſius in Synopſi ſacræ Scripturæ, & Hilarius, Eſdram, Scribam*, peritum admodum, & paratum, e captivitate redeuntem, Pſalmos collegiſſe, & in unum volumen redegiſſe. Ut autem pace dicatur tanti nominis Patrum, quis fuerit Author uniuſcujuſq; Pſalmi, quis ſcriba, nondum conſtat.

David dulciſſimus ille Pſaltes Iſraelis, ὡς ὁπὶ τὸ πολὺ, Pſalmos pro re nata compoſuit, & citharâ, nablio, & decachordo, Jehovam celebravit. Sæpius occurrunt Επιγεγραὶ Authorem, & occaſionem, penticulatè indigitantes, ita hac ex parte dirimitur cõtroverſia: Sed cum (ut quandoq; videre eſt) iſti Tituli defuerint, ſive fuerit *David*, ſive *Moſes*, ſive *Heman*, ſive *Aſaph*, haud quicquam certi de Authore incerto pronunciare valeamus. Sic tacente ſpiritu Sancto, ſatius eſſet rem omnino in medio relinquere, quam curiosâ nimis indagine explorare. Proculdubio Liber Pſalmorum eſt fidei & veritatis ſpectatiſſimæ, *totius ſacræ Scripturæ Epitome, Panacea ſaluberrima*, παντοπωλία *opulentiſſima*, admonitionum, gratulationum, & conſolationum ſupellectile abundè

bundè locupletata. Hæc una eſt, imo earum ſcripturarum potiſſima, quæ Paulinum promeruit Teſtimonium. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος &c. Jam quemadmodum inter ſtellas, aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ, aliæ tertiæ magnitudinis, & ſic deinceps, una ſtella alteri, luce, ſplendore, magnitudine, & virtute videtur præcellere. Haud ſecus inter Pſalmos (ſi comparatio ſit licitè adhibenda) nonnulli ſunt ſelectiores, & ratione ſtyli ſingularis, & materiæ ubertate pientiſſimæ, cæteros longe exuperantes. Ex eorum numero præcipuum obtinuit locum *Pſalmus 119. qui (Ambroſio judice) tantum cæteros ſupereminet, quantum lumen ſolare, lumen lunare mutuatitium ſupereminuiſſe videatur.* Haud allubet mihi ὡς ὁπὶ τὰ παντὰ pedibus ire in doctiſſimi Patris ſententiam, juxta præfatam comparationem Hyperbolicam. Utcunq; erit, cum eodem *Ambroſio* in terminis terminantibus non vererer aſſerere, *hunc Pſalmum eſſe commune quoddam Medicinæ Promptuariũ, veluti penus doctrinæ publicum, unicuiq; apta diſtribuens & convenientia.* Libere fert animi ſui ſententiam *Auguſti-*

2 Tim. 3. 16, 17.

Auguſt. in Pſal:119.

nus. Quanto inquit videtur apertior, tanto mihi profundior videri ſolet, ita ut etiam quam ſit profundus non poſſim demonſtrare. Quotieſcunq; inde cogitare tentavi, ſemper noſtræ intentionis vires exceſſit.

Pſalmum hunc a *Davide* conſcriptum haudquaquam dubito, quia ubiq; redolet ſpiritum Davidicum, in effuſiſſimas gratulationes paſſim prorumpentem. Tempus conſcribendi innuunt *versus* 23,39,54, aliiq; quam plurimi; quo tempore a Saule in exilium pulſus fuit, & in fugam ſe recipere coactus, Saulina rabie magis magiſq; indies ſæviente, Davidi cædem minitante atrociſſimam. Pſalmus iſte duas & viginti Sectiones complectitur, ſecundum numerum & ordinem Alphabeticum Ebraicorum Elementorum. In qualibet Sectione continetur Octoſtichum, ſive octo verſiculi ab eadem literâ inchoantes. *Quâ methodo uſus eſt ſpiritus ſanctus juniorum gratiâ, ut eorum memoriæ, & captui conſultum foret, in iis meditationibus ediſcendis & retinendis, quemadmodum nonnulli primæ claſſis interpretes obſervarunt.*

V. Muſc. Ameſ. & Riv. in Pſ. 119.

Nec prætereundam cenſeo *Vatabli* obſervationem, multoties ab interpretibus

bus recitatam. *Nullus inquit reperitur versus in hoc Pſalmo præter centeſimũ viceſimum ſecundum (& alii nonageſimum velint excipiendum) in quo unius ex decem vocabulis Synonymis ſequentibus non dabatur mentio.* *Vatab. in Pſal. 119.*

Quorum primum eſt *Lex*, quæ oſtendit, hac, voluntatem Dei doceri, & ſolam dignam eſſe quæ ab omnibus diſcatur. 1 *Lex.* 2^dum^ Eſt *Statutum*, quod ſignificat hanc voluntatem continere officium nobis præſcriptum ac ordinatum. 2 *Statutum* 3^tium^ Eſt *Præceptum*, quia eadem voluntas nobis præſcribitur, cum ſumma authoritate Legiſlatoris. 3 *Præceptum.* 4^tum^ Eſt *Mandatum*, quoniam illa voluntas eſt nobis, & noſtræ fidei commiſſa, ut cuſtodiatur. 4 *Mandatum.* 5^tum^ eſt *Teſtimoniũ*, quia hæc voluntas quaſi Teſtimonium eſt & Teſtamentum Dei teſtatur, & hoc trifariam accipitur, 1. pro jure, quod facere debemus. 2. Pro facto quando bene vel male agimus. 3. Pro eventu, quid boni vel mali ſit nobis expectandum ac eventurum, ſecundum illud quod agimus boni vel mali; hac ratione dirigit conſcientias noſtras, in teſtimonio reddendo, tam de ſtatu noſtro, 5 *Teſtimonium.*

quam de actionibus præteritis, præsentibus, & futuris. 6tum Vocabulum est *Judicium*, quia sententiam Dei judicialem continet de nostris dictis, factis, & cogitatis, necnon de executione congruente certo consecutura. 7mum Vocabulum est *Sermo vel Oraculum*, quia cælitus delapsum est, quasi ex ore ipsius Dei. 8um Vocabulum est *Verbum*, quia representat nobis quasi alloquio, quid Deus velit a nobis præstari. 9num Est *Via Dei*, quia est Delineatio & perfecta circumscriptio omnium nostrarum actionum, quasi totidem gressuum quatenus imaginem Dei adumbrant, ipsi placent, & ad ipsius gloriam reducuntur. 10mum & ultimum vocabulum est *Justitia*, quoniam verbum Dei rectitudinem habet in se justissimam, justum reddit hominem, & hæc sapientia ab omnibus filiis justa agnoscitur.

6 *Judicium.*

7 *Sermo.*

8 *Verbum.*

9 *Via.*

10 *Justitia.*

Hæc scitu non indigna prælibavimus, priusquam ad contextum enucleatius expendendum nosmetipsos accingamus. Habuistis Medullam hujus Psalmi in decem prædictis vocabulis adumbratam. Impræsentiarum

Psalmi

Pſalmi in genere fuſiori elucidationi viſum eſt mihi ſuperſedere (ne ultra Pomæria limites meos ex improviſo videar dilatare) Pſalmi in ſpecie elucidationem aggreſſuro. E ſecundo octonario ipſiſſima contextus verba eliciuntur, & ad primum præcipuam connotant habitudinem. In primo (ubi ſinguli verſus ab *Aleph* incipiunt) continentur tria notatu digniora, nempe propoſitio doctrinæ Principalis totius Pſalmi, videlicet, Quod verbum Dei beatos reddit omnes, qui vitam ſecundum illius normam dirigunt, quod ipſum quatuor priores verſus abunde ſatis indigitarunt. Deinde ſequitur Pſalmiſtæ precatio, ut ſibi contingat vitam ſuam ſecundum Dei verbum inſtituere. Tandem pollicetur ſummam erga Deum gratitudinem, ſi modo hanc ſpecialem ei gratiam elargitus fuerit, ita vitam ſuam ad verbi divini regulam exigendi. In hoc ſecundo Octonario, duo præ cæteris occurrunt obſervanda. 1. Monitum de Regulâ noſtræ vitæ quemadmodum obviam nobis dant verba contextus. 2. Pſalmiſtæ precatio in verbis ſequentibus, ut ipſum ver-

bo ſuo dignaretur illuminare,& gubernare; Quod ſpectat ad propoſitum, quippe quod David per *Apoſtrophen* Deum alloquitur in hoc verſiculo: *Quomodo purificabit Adoleſcens ſemitam ſuam? Obſervando eam ſecundũ verbum tuum*: Quibus verbis, duo noſtris obverſantur oculis, expoſtulatio nimirum, & reſponſio. In expoſtulatione tria patent per ſe nota (*i.e.*) ſubjectum (*Puer, Adoleſcens*) Actus (*purificabit*) objectum (*ſemitam ſuam*). In Reſponſione exprimuntur duo, ſcilicet officium, *obſervando* & officii regula, *ſecundum verbum tuum*. Huiuſce Scripturæ apprimè tempeſtivæ, & perutilis, enodationem quod attinet, Quæcunq; (ἐν ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ) dicturus ſum, mihimet conſtabo de cancellis methodi ſuccedaneæ.

Diviſ. Textus.

Methodus. 1. Termini ſunt expendendi, & ad genuinum ſenſum reſtituendi. 2. Selectiores aliquot Theſes proponendæ ſunt veritatis ſtabiliendæ gratiâ. 3. Coronis paræneticâ ad Auditorum πρᾶξιν reſtat dirigenda. Quorum ſtadiorum decurſu paſſu concitatiori peragendo (quantum in me erit) Geographorum veſtigia pedetentim premam, qui totius

terræ

terræ ambitum delineare ſatagunt, aliquantulo licet magnitudinis, nullo (uti ſpero) diſpendio veritatis.

A priori auſpicaturo propoſito, prima fronte occurrunt quinq; Termini, notatu digniores, digni ſane Interprete ſagaciori. Primus Terminus, qui primo ſe noſtro offert examini eſt, יזכה emundabit, זכה eſt radix, & metaphoram innuit, a vitro communiter mutuatam, quemadmodum *Nicolaus Fullerus*, doctiſſimus vir, facem nobis accenſam prætulit in miſcellaneis Theologicis. Quod nomen, vi originis, purum denotat & nitidum. Etymo recte obſervato ὑαλὸν Septuaginta Interpretes reddiderunt. Jam vitrum, etiamſi radiis ſolaribus ſubdio appoſitum fuerit, inde ſordes neſcio quas illico contracturũ, quiſpiam eſt, qui velit diffiteri? Quam immunda ſit Adoleſcentum vita, quantis undiq; conſpurcata corruptelis, hinc liquido conſtat. *In quo purificabit, ita ſe habet Caldaica Paraphraſis:* Ἐν τίνι κατορθώσει; *ita vertunt Septuaginta interpretes, quæ verſio plurimum arridet Hieronymo & Auguſtino: Non ait in quo exercebit Junior memoriam ſuam, ſed in quo corri-*

get

Auguſt. in locum. get vitam ſuam, neq; ullo modo dicenda eſt vita correcta, quamdiu remanet perverſa, ſic *Auguſtinus.*

Sequitur ſecundus Terminus נער Puer, infans, Adoleſcens, *qui ab utero materno in mundum excutitur, Schindlero obſervante. Eam præcipuè denotat ætatem cui infirmum eſt judicium, quale ſolet eſſe in pueris Aria Montano annotante.* Νεώτερ& dicitur apud 70 Interpretes. Polyſemon eſt, infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem perinde reſpiciens. Quandoq; *Infans appellatur Gen:* 19. 4. *Quandoq; diſcipulus Iſ:*8.18. *Aliquando miles* 1 *Sam:*2.18. *Quandoq; ſervus Luc.*7.7. *Aliquando amicus prout Chriſtus familiariter compellat ſuos diſcipulos Ioh:* 25. 5. Et *nonnunquam pro maximè imperito & rerum inexperto uſurpatur* Eccleſ. 10.16 Nec vacat nec decet in λογομαχίαις ulteriorem moram trahere, vel Criticorum Ἀκειβοδίκαιον aucupari, ſive fuerit *Infans*, ſive *Puer*, ſive *Adoleſcens*, ſive *Juvenis*, ſenſus remanet in æquilibrio pendulus, ad ſingulos æqualem connotans reſpectum, & unicuiq; eorum purioris vitæ inſtitutum impoſiturus.

Arias Mon. in cap. 8 Geneſ.

Tertius occurrit Terminus את ארחו nomen

nomen אֹרַח eſt ſemita et iter, τὴν ὁδὸν αὐτοῦ verbatim vertunt 70 Interpretes. Quod ipſum totius vitæ curriculum reſpicit. Requiritur ut Juvenis viam virtutis ingrediatur, callem rectum vitæq; rationem tranſigat illibatam: *Calvino*, *Muſculo*, *Gualtero*, *Piſcatore*, *Ameſio*, una cum cæteris ſuperioris ſubſellii Interpretibus ſenſui prædicto album calculum adjicientibus. Adoleſcentes neceſſe eſt ut ad meliorem frugem redeant, vitam degentes integerrimam, ſed *eminenter* potius, quam *excluſive*. Per purificationem ſemitæ juvenilis, per Synecdochen, cujuſlibet hominis ſanctificationem ſubintelligendam ſatis ſcio. Imprimis autem ipſe juvenis ipſimet viderit, pluribus tentationibus obnoxius, in plura perfacilius ruiturus præcipitia.

Quartus Terminus eſt לִשְׁמֹר *obſervando*, nec levidenſis cura, nec obſervatio neglectior ſuffecerint. Aliqualis & quantulacunq; cuſtodia, remiſſa opera ab hujus vocabuli confinio longe exulant: שָׁמַר vocabulum primitivum curam ſibi vult & ſollicitudinem, vigilias elucubratas, ſummamq; diligentiam

am, nequid elabatur, effluat, & excutiatur. Hinc cuſtodia præceptorum Dei ſæpiſſimè injungitur. *Hinc Beatitudo iis attribuitur, qui ſermonem Dei audiendo cuſtodiunt, & ita retinent, ut opere impleant & exequantur, ut ipſiſſimis verbis utar doctiſſimi Riveti.* Notatio huius nominis penes duo attenditur, ſcilicet tum firma memoria, tum ſalva cuſtodia retinendi.

Riv. in v. 5. 6. 19. Exodus.

Ultimus occurrit terminus, unico verbo expediendus, דברך Etymon eſt, דבר verbum. Nec quodlibet verbum a quolibet pronunciatum, ſed tuum verbum tanti æſtimandum eſt. Pronomen *tuum*, Emphaſin innuit elegantiorem: ſermo Dei, Præcepta, Lex, judicia, teſtimonia, in unum & eundem ſenſum coaleſcunt. Hinc ſatis conſtat de juſtiſſima regula *Fidei & Obedientiæ*. Non pendet ab Ἐθελοθρησκείᾳ, & verſipelli hominum placito, ſed verbo divino innititur eodemq; ſuffulcitur.

Hac præeunte Terminorum expoſitione Analytică, cuivis exploranti germanus ſenſus palam innoteſcit. *Adoleſcentia homines in bivio locat, quemadmodum Herculem introducit Cicero in bivio ſedentem,*

ſedentem, & quodnam vitæ genus eligeret deliberantem. Rem acu tetigit *Calvinus*: *Si quis* (inquit) *vitam in melius inſtituere cogitaverit, neceſſe eſt ut legem Dei ſibi Magiſtram & Ducem propoſuerit; nihil quorum eſt in vita Adoleſcentum, donec ſe totos verbo Dei addixerint.* Et ad idem redeunt quæ a *Gualtero* obſervantur, *Cum juventus* (inquit) *ſit variis affectibus obnoxia, opus eſt Juveni Magiſtro optimo, qui ipſum, cum adverſus affectus, tum adverſus vaforum hominum laqueos, muniat ac tueatur. Hæc ætas obnoxia eſt* (inquit *Mollerus*) *& ſcatet plurimis vitiis quæ corrigi nulla re melius poteſt, quam ſtudio verbi divini & exercitiis pietatis* Quibus adjicienda ſunt ſuffragia *Hieronymi & Auguſtini. Propheta* (inquit *Hieronymus*) *non modo longævam ætatem correxit, verum etiam adoleſcentiam edocuit erudiri, & ita cuſtodire divinos ſermones, ut etiamſi vetus culpa defleta ſit, nunc ne cogitatio ad delinquendum ulla conſentiat.* Hinc per cuſtodiam verborum Dei, intelligenda eſt operatio præceptorum: *Fruſtra cuſtodiuntur memoria, niſi cuſtodiantur & vitâ, teſtante Auguſtino.*

Calv. in loc.

Gualt. in loc.

Moller in loc.

Hieron. in loc.

Auguſt. in loc.

In quantum ego poſſim aſſequi, & videar

videar mihi intelligere, ſpiritus ſanctus ad duplicem collimat ſcopum duabus hiſce Theſibus comprehenſum, quarum prima eſt.

Vitæ juvenilis curriculum, eſſe plurimorum vitiorum ſordibus inquinatum.

Secunda eſt.

Sollicitam verbi divini obſervationem, efficaciſſimum fore remedium ſanandis vitiis, & eluendis ſordibus Adoleſcentum.

Utramq; Theſin qua potero (ξὼ Θεῷ) perſtringam brevitate. De priori prius. Quam duplicis argumenti præſidio operæ pretium erit communire; unò a *Teſtimonio*, altero ab *Inductione* èliciendo.

Theſ. 1.

Arg. 1. Quod ſpectat ad primum Argumentum, haud vos latet, Duplex eſſe Teſtimonium, *Divinum* nempe & *Humanum*, illuſtrat hoc, probat illud: De utroq; noſtra intereſt ſigillatim ſciſcitari. *Divinum Teſtimonium* eſt inſtar omnium, hoc nunquam fallit, nec fallitur. Labuntur Mortalium optimi, falluntur ſagaciſſimi. Errata multoties in humanis reperiuntur ſcriptis, nigro carbone

bone notanda. Omnia autem aſſurgunt, & Palmas deferunt ſacrarum Scripturarum Authoritati. Quicquid blateret & arroget ſibi *Papa Romanus* ὁ Ἀντίχεις Θ, diro feriendus eſt Anathemate, & de ponte dejiciendus. Solus Chriſtus ſedet in Cathedra Infallibiliratis. Sola ſacra pagina non indiget editione correctiore & emendatiore. Hæc obiter, idcirco ad ſacræ Scripturæ Teſtimonium recurramus, ejuſq; in ſententiâ definitivâ gradum figamus, nè ultra progreſſuri.

Audiatur *Iob*, exemplar patientiæ ad miraculum uſq; ſpectabile. Quam graviter in hæc verba conquerebatur: *Reſcribis* (inquit) *contra me amaritudines, & efficis ut poſſideam hæreditario jure iniquitates pueritiæ meæ.* Et alibi nequam ſenio ingraveſcenti, hoc opprobrii ſtigma inurebat graviſſimum, *oſſa ejus impleri peccatis Adoleſcentiæ ſuæ.* Hinc David juveniliũ peccatorum conſcientia laborans, divinæ Majeſtati quam humillime ſupplicavit in hæc verba, *Peccatorum pueritiæ meæ, & defectionum mearum ne recorderis: Pro benignitate tua recordare mei propter bonitatem tuam Jehova.* Job 13.26. Iob 13.11. Pſal: 25.7.

Huc

Huc ſpectat Paulina cautela ad Timotheum, τὰς νεωτερικὰς φεῦγε ἐπιθυμίας. Indigitat proculdubio contextus noſter *Immunditiem, ſordes, corruptelas*, & turpia quæcunq; ex hac cloaca juvenili prodeuntia, ſecus vehemens iſta expoſtulatio, purificandi neceſſitatem exigens, in caſſum cederet, non ſecus ac incenſa fornax flammam efflat & ſcintillas, aut ſcaturigo aquam egerit: Adoleſcentes, in quibus maxime ebulliunt carnis libidines, veluti cymba prono amne, in omnia abripiuntur ſcelera, & ad vitiorum redeunt volutabrum.

2 Tim. 2. 22.

Nec inſalutatum licet præterire, aliud Argumentum (etiamſi ſit inartificiale) ab *humano* petitum *Teſtimonio*, illuſtrandi gratiâ proponendum. Conſulendum eſt *Ambroſii* teſtimonium, *vicina inquit lapſibus eſt Adoleſcentia*. Cui adſtipulatur *Nazianzenus*, *Iuventutis inquit aſſecla eſt ſtultitia*. Audiatur *Clemens Alexandrinus* in hæc verba, Ἀλληγορῶν αὖθις ἡμᾶς πώλους καλεῖ, τοὺς ἀζυγεῖς κακίᾳ, τοὺς ἀδαμάστους πονηρίᾳ. Hinc Νήπιος pro Infante, & ſtulto uſurpatur, ac ſi fuerint apud eundem Authorem termini

Ambr: Lib. de viduis.

Clem. Alex. in Pæd.

mini plane ſynonymi. Nolim eſſe multus in teſtibus accerſendis, huic veritati tempeſtive ſuffragantibus. Conſulite *Ariſtotelem* veſtrum, Peripateticorum Primipilum, cujus ſub umbone, pro Academiæ antiquitus recepta conſuetudine, hodie eſtis dimicaturi (Abſit Abſit, in verba Magiſtri juraturi) Totidem verba occurrunt apud Philoſophum, Τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ὁ ἀκρατὴς ὁ νέος. Rationem duplicem ſubjungit, Ἄπειρος γὰρ ἕκαστος τοῦ κατὰ τὸν βίον τοῦτον καὶ τὰς πράξεις. Ἔτι δὲ τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς ὢν ματαίως ἀκούσεται καὶ ἀνωφελῶς. Hinc tot προφυλακτικὰ καὶ θεραπευτικὰ, inter conſulendum præcepit *Cicero*, *Oratorum facile Princeps*. *Ineuntis inquit ætatis inſcitia, ſenum conſtituenda & regenda eſt prudentiâ. Maxime autem hæc ætas a libidinibus arcenda eſt, exercendaq; in labore patientiaq; & animi & corporis.* Cui ſententiæ vel ipſe *Tragicus* accinuit, *Præcipere mitem convenit pueris ſenem: Regenda magis eſt fervida Adoleſcentia. Pejora Iuvenes facile præcepta audiunt.* Taceo ulteriora ab Ethnicis deprompta Teſtimonia. Quippe quod nulla gravis cogit neceſſitas, ut ad Philiſtæos deſcendamus, *ad*

Ariſt. L. 1. Eth: c. 1. & Cont. 35.

Cic. L. 1. Off.

Sen. Trag. oct.

Sen. Trag. in Thy.

 poliendum

foliendum quiſq; vomerem ſuum & ſecurim ſuam Atqui monent hujus horulæ angustiæ, ut gradus noſtros acceleremus, & ſecundum quod propoſuimus Argumentum aggrediamur. Hujuſce Argumenti veritas per Inductionem abunde eluceſcit. Quadruplicem mihi viſum eſt inſtantiam aſſignare, ob oculos ponendo *Inſcitiam*, *voluptatem*, *ſuperbiam*, & *Intemperantiam*, palam ſe exerentia in Juvenibus, per totius vitæ inſtitutum.

1 *Juvenum Inſcitia.*

Imprimis teſtem mihi adſciſco *Juvenum Inſcitiam*, eorumq; tenebras Cimmerias. Hebeſcit ingenii acies, & caligine occæcatur. Hinc toties in vetitum nituntur Adoleſcentuli, quidlibet per faſq; nefaſq; adorituri. Eorum intellectus (pars longe optima) quandoq; *craſſâ* quandoq; *affectatâ* offuſcatur ignorantiâ: ita fit, ut præcipites facilius decidant in foveas & præcipitia. Quiſnam fuit ille qui meretriciis irretitus blandimentis in lupanar introivit, & inde diſceſſit læſæ caſtitatis reus, *niſi mente captus Adoleſcens?* Quinam fuerunt in quibus tot effrænatæ cupiditates efferbuerint, qui corda per

Prov. 7. 7.

peccandi

peccandi assiduitatem obfirmaverint, *nisi qui prius habuerint mentem tenebris obumbratam*, teste Apostolo. Neq; enim diffitendum est, quin Inscitia & Imperitia Juvenum φιλαύτων καὶ αὐθαδῶν cuilibet flagitio aditum brevi patefecerint apertissimum. Cæcos cespitare quam verisimillimum est. Via improborum (inquit *Solomon*) *similis est caligini, nesciunt in quid impegerint.* Eph. 4.18. Prov. 4.19.

Secundam assignabo Instantiam in voluptatum desiderio inexplebili, in Adolescentibus quam maxime incalescente ---

2 *Voluptatum desiderium.*

Sponte sua properant: Labor est inhibere volantes.

Nihil est quod puerorum animis magis arrideat, quam spes voluptatis potiundæ. Hinc caro corrupta prurientem in hominum medullis deliciarum sitim suis titillat, & illaqueat illecebris. Quanto ardore, quanto animi impetu, quam plurimi occasiones quæritant sollicitius, bonas horas in malis nugis conterendi! Verbi gratia, sphæristeria, Ludi Tesserarum, & chartarum pictarum, Herbæ Nicotianæ haustus immodicus, Canes venatici,

Hoſpitium Activum & Paſſivum male feriatorum *Tenebrionum* huc & illuc circumcurſitantium, cellam cerviſiariam viſitandi gratiâ, omnia hæc a ſtudiis Avocamenta, e nimio voluptatum deſiderio, velut ex *Equo Trojano* proſiliérunt. Plurimi (proh dolor! proh pudor) nunc dierum a Libris ſunt feriati, *fruges tantum conſumere nati*, oneri magis quam honori & uſui *Academiæ*. Quos, Peſtes, & Gangrænas pene dixerim, *imo potius Vomicas, & Carcinomata*. Qualia nomina *Auguſtus Cæſar* impudicis indidit filiabus. Et (per me licet) iſtius furfuris homunciones, non gaudeant in poſterum Privilegiis Academicis. Effrænata iſta libido nulla novit Repagula, cancellos nullos, in *Hexametrum* eruptura:

Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos.

Cui aliud e diametro oppoſitum haud inconcinne attexendum eſt,

Sperne voluptatem: nocet empta dolore voluptas.

Liceat vobis veſtram refricare memoriam. & ſacram Ironiam conſulere ab *Eccleſiaſte* pronuntiatam, *Lætare Juvenis*

venis (inquit) *in Iuventa tuâ & exhilaret te animus tuus in diebus Iuventutis tuæ, deniq; perge in viis animi tui, & aspectibus oculorum tuorum, sed cognosce fore ut propter omnia hæc adducat te Deus ipse in judicium.* Eccle. 11. 9

Testatur vel *Aristoteles* vester, *In voluptatibus non esse collocandam fælicitatem.* Et *Cicerone* judice, *Indignus est ille nomine hominis, qui unum diem velit esse in voluptatibus positum.* *Seneca* satis appolite suam in medium profert sententiam. *Qui voluptatem sequitur* (inquit) *videtur enervis, fractus, degenerans a viro, in impia prolapsurus.* *Seneca de vita beata.* Voluptas est esca, sentina, obstetrix, malorum suada flagitiosissimorum. Hac ingruente, *veternum, somnolentiam, Ingenium Bœoticum* videre est subito irrepentia, quo pacto, de studiis mox conclamatum erit, quasi lethali vulnere expiraturis. Quapropter efflictim (Juvenes) vos obsecro, ut vobismetipsis in æternum caveatis a voluptatum lenociniis, nec cautelam ex abundanti adhibitam, vobis autumo inutilem futuram.

Tertio dicendum est (unico verbo) de φιλαυτίᾳ fastu, & superbia, quibus apud nos, haud parum inflantur Adolescentes 3 Φιλαυτία.

lescentes, & intumescunt. Ab hac radice, quam putridâ, prodeunt quam putridi ramusculi. Obstupesco (*Academici*) metuq; percellor undiquaq;, perhorresco referens, jactantiam Thrasonicam, gestus superbificos, cincinnos, calamistra, crines pulvere, nescio quo exotico, & suffitibus delibutos odoriferis, adeo ut e pistrino potius quam e musæolis, prodire videantur juvenes, quorum albicantes comæ canitiem præ se ferunt ante senectutem. Nolim reticere portentosam istam crinium nutritionem, hujusce ætatis opprobrium,

Monstrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum est, rectæ rationis.

Nonne hæc sunt superbiæ symbola & sarcinæ? Nonne indecora ista Cæsaries *crinitum Cometam* refert aliquid mali Academiæ protenturum? Testor istos exoticos habitus non ita pridem usitatos, a Bombycibus mutuo acceptos, sericis distinctos, Byssinis huc & illuc illitos, vel ipsius Iridis coloribus sparsim variegatos. Ad contexendas ista, vestes, plus nimio desudant *sartorum vestiariorum cerebra*, qui tandem

unius

unius artis compotes evaſerunt, *Inventionis inquã, non ita judicii.* Vereor enim vero ne iſti *Hiſtriones Attici* apud poſteros audiant animalia riſibilia, ſine ratione ridicula: Adeo ut in bivio totus hæream, utrum ad iſtos faſtuoſos habitus deridendos, unus ſuffecerit *Democritus*, an ad eos deflendos, unus ſuffecerit *Heraclitus*.

Et jam non poſſum me ulterius cohibere, quin in eos querelis detonem meritiſſimis, qui eo ſuperbiæ, ſimul ac impudentiæ, proceſſerunt, ut in Magiſtratum & Miniſterium audacter involaverint, & contra iſtas Ordinationes, Jure Divino ſancitas, malitiæ virus funeſtiſſimum, ore perquam immundo evomere nequaquam erubuerint. In ea prolapſi ſumus tempora, de quibus jamdudum conqueſtus eſt *Iſaias Propheta, ſuperbiet (* inquit *) puer in ſenem, & vilis in honoratum.* Iſa. 3. 5. Quod ipſum *Jeremias* ſubindicat per verba cognatæ ſignificationis: *Irata facies Jehovæ diſpertietur eos. Non eſt intuita in eos amplius. Hoſtes rationẽ ſacerdotum non habebunt, ſenibus non facient gratiam.* Lam. 4. 16.

Adhæc eodem potui conſtringere

manipulo, complures male feriatos pueros, intra nostros parietes latitantes, qui nondum ex *Ephebis* excesserunt (ut taceam eos, qui virilem togam, etiamsi virilis animi temperamentum nondum assumpserunt) qui habenas laxant disciplinæ, *Fundatorum* statutis licitis & honestis, *superiorum* præfectura, de moribus conformandis *Ordinationibus* salubriter editis, susq; deq; habitis. Fuci sane sunt aut vespæ panem alienum comedentes, dum Alvearia depascuntur Academica, pestes pæne dixerim, Gangrænas, nostriq; Parnassi de honestamenta. In quos quadrat justissima Ascræi senis censura.

Hesiod. ἐργ. καὶ Ἡμερ.

Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἄεργος:
Οἱ τε μελισσάων κάματον τρύχουσι ἄεργοι.

4. *Intemp.* Ultimo appello intemperantiam, Comessationes plusquam sybariticas, compotationes Bacchicas ingluviem epicuream, Opipara convivia, aut Romanæ olim luxuriæ æmula, vel passibus æquis insequentia. Quot hodie extant Bacchi sacrificuli, qui modo ad Oenopolia, modo ad Allapolia turmatim

tim confluunt, pocula pænè Circæa ingurgitantes? Adeo ut in posterum actum sit & prorsus conclamatum de literarum acumine, necnon in bonis literis profectu uberiori. Vinum in furorem vertitur, loquaces reddit, non facundos Oratores, cerebrum læsum, non acutum pariturum. *Sapientes bibunt, uti ne bibant, Nebulones bibunt, uti bibant, jamdudum observante doctissimo Scaligero.* Pro comperto habuimus, quod fæcundi Potatores, facundi Oratores, non ante calendas Græças sunt evasuri. Nec fas esset, in hisce *Harpocratis* meminisse, nec silentii sipario amorem meum erga vos singularem obnubilasse. Mos obtinuit, sed vitiosus, & ad Tartara relegandus, ut (quam primum finitis Disputationibus in *Parvisiis vel in Augustinensibus*) *a Scholis ad Popinas* se derepente contulerint juniores, inibi ad crebriores haustus alii alios provocaturi. Et hodie vinum in scholas introduci solebat. Cui bono quæso? Ad quid Perditio hæc? Quid *Minervæ* cum *Baccho*: *Quid Palæstræ Philosophicæ* cum poculorum digladiatione? qualis quantusq; fuit ille solæ-

cismus

ciſmus: Apage prorſus iſtas ineptas conſuetudines, unde Academiæ ſcandalum orietur graviſſimum. Sed verbum ſapientibus. Abunde mihi perſuaſum habeo, Magiſtratus noſtros ad mores corrigendos, nihil intentatum relicturos. Utinam pariter vobis obſequii relinquatur gloria, & inclareſcat! Utinam hic ſermo paræneticus qualis quantuluſcunq; fuerit (quem mihi amor veſtrum fervidior ſuggeſſit) altiores agat radices, vehementioreſq; in veſtris pectoribus infigat aculeos, ita ut *hæc ſecunda Academiæ Editio*, evadat correctior & emendatior, a fæcibus magis repurgata, luce donata, & lima, adeoq; per omnia interpolata, ut *ſucceſſores & ſuccenturiati* Deceſſoribus ſuis, pietate & doctrina, mille paraſangis antecelluerint. Cum lepido pictore auſim aſſerere, quod *vellem & hæc*, Reipublicæ literariæ ſtudioſiſſimus.

Hactenus de Morbo: ſequitur Remedium, ſequente Theſi pertractandum, applicandumq; -- nimirum,

Verbi Divini obſervationem, efficaciſſimum fore Remedium ſanandis Adoleſcentum

leſcentium vitiis, eorumq; ſordibus abſtergendis.

Cujus Theſeos veritas clarior emer- *Theſ. 2.*
get & elucelcet (Concione mea in occaſum vergente) ſi triplicis Argumenti mentionem fecero, a neceſſitate, dignitate, & utilitate verbi divini depromendi

Quod ad neceſſitatem pertinet, ſci- *Arg. 1. a neceſſitat.*
endum eſt, quod duplex occurrit neceſſitas, cum præcepti, tum medii; Quoad utriuſq; ſenſus ambitum, prædicta Theſis integra remanet & illæſa, ſuis viribus ſecura ſatis. 1. Conſulamus *Jehoſcuam ne diſcedito Liber iſte legis ex ore tuo, ſed meditaberis de eo interdiu & noctu, ut cum obſervantia facias omnia, prout ſcriptum eſt in eo.* In idem redit illud ſaluberrimum conſilium apud *Deuteronomium*, Et *erunt verba iſta, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, eoq; acute ingeres filiis tuis, ac loqueris de iis, quum ſedes domi tuæ, & quum ambulas per viam, quum cubas, & quum ſurgis, etiam alligabis ea in ſignum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Huc ſpectat hortatio ſervatoris, Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς. *Eoſq; benedictos pronuntiat, qui audi-*

1 *Neceſſitas Præcepti.* Iehoſ. 1.8.

Deut: 7.8.

Ioh: 5.39.

um

Luc.11.28. *unt ſermonem Dei & eundem cuſtodiunt.*

2 Neceſſ. Medii. 2. Neceſſitas medii liquido patet ſequentia ſecum ſerio reputanti. Sacra Scriptura eſt medium *illuminandi*, veluti

Pſ.119.103 liquet *Pſalmiſtæ conſulenti: Lucerna pedi meo verbum tuum eſt, & lux itineri meo.* Et erit medium noſtras ſemitas dirigendi. *Utinam comparentur viæ meæ ad obſervandum*

V. 5. V.133. *ſtatuta tua. Pedes meos inſtitue in ſermone tuo.* Verbum Dei eſt Regula fidei, & vitæ. In ſingulis ad *Legem* & *Teſtimonia*

Iſ:8. 20. recurrendum eſt, quemadmodum *Propheta* monuit. Ulterius eſt medium

Rom:15.4. conſolandi. *Spem enim concipimus per ſcripturarum conſolationem.* Ultimo eſt medium ſalutem acquirendi. Quorſum adeo incubuit nobis aſſiduum ſcripturarum ſcrutinium, niſi ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, ipſiſſimo *Chriſto* veritati perhibente teſtimonium.

Arg: 2. A Dignitate. Atqui brevitati ſtudeo, ideoq; feſtinantius tranſeo ad ſecundum Argumentum a dignitate & præſtantia ſcripturarum ſingulari eliciendum:

Hom: Il. Μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Favus melliſ præ ſcripturarum dulcedine, nec dignus eſt, qui nominetur, Moſi,

Mosi Livius, Davidi Pindarus, Paulo Demosthenes, & Cicero, assurgunt periti vel sua arte longe superati, victricem palmam sacris literis deferentes. Majestas styli maxime sublimis, materiæ vis energetica. Phrasium elegantia, præcipue vero Imago Dei sanctitate & justitia adumbrata, tantum cæteros scriptores supereminet,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi. *Virg.*

Ethica *Aristotelis*, officia *Ciceronis*, *Senecæ*, & *Socratis*, quotquot extant Epistolæ selectiores tantummodo spectant ad exterioris vitæ rationem emendandam, interioris vero οὐδὲ γὰρ mentionem facientes. Cordis pravitatem perstringere, cogitationum sordes fæculentas eluere, & ultra mentem & animum fuit vitæ rigidioris Ethnicorum. Sacræ autem *literæ* pectoris intimi rimantur penetralia, introspiciunt accuratius, & domus interioris purgationi quam maximè prospiciunt. Anfractus Mæandreos pro palã detegunt, & abditissimas cujuslibet cordis cavernas. E Labyrinthi angustiis nos extricant, Diverticula, latebras quascunq;, & Arcana pectoris inapricum proferunt.

runt. Sic ſæpe fit conſcientia ſui ipſius carnificina.

Quam pulchrum eſt (verbi Divini) digito monſtrari, & dicier, Hic eſt.

Hic eſt nequam ſecretiſſimus Lucifuga, qui tandem evadit αὐτοχειρ & μαχαιροφόρος, ſui ipſius gladii perfoſſus ictibus & lanienis. Hinc ſermo Dei dicitur
Heb:4.12. κριτικὸς ἐνθυμήσεων, καὶ ἐννοιῶν καρδίας,
Pſ.119.7. *Dicitur lex perfecta animam convertens.* Dicitur verbum purum. *Dicta Jehovæ pura ſunt, argentum purgatum in catino lectiſſimo terræ defæcatum ſeptiès.* Dicitur ver-
Pſal. 93.5. bum firmum & ſtabile. *Teſtimonia tua firma ſunt.* Hinc abunde conſtat, quanti verbum Dei ſit æſtimandum, præ quo Oratorum & Philoſophorum placita ſordeſcunt omnia, & decidunt, veluti fracto ſcipione innitentia.

Arg:3.ab Utilitate. Unicum ſupereſt Argumentũ ab utili deductum, ad quod arrectis auribus & animis accipiendum, quin ſinguli ſe præbuerint paratiſſimos, non eſt ut aliquantulũ dubitavero. Omnigena Emolumenta, Honores, Divitiæ, quæcunq; revera utilia ſunt, ab hoc fonte ſcaturiunt, ſuamq; derivant Originem. *Longitudo dierum eſt in dextra ejus, & in ſiniſtra*

ſiniſtra divitiæ & honores: Ita Solomon. Prov:3.16.
Ἔστι πλοῦτος μέγας ἡ εὐσέβεια. Ἡ εὐσέ- 1 Tim.6.6.
βεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, ἐπαγγε- 1 Tim:4.8.
λίαν ἔχουσα ζωῆς τ νῦν καὶ τ μελλούσης. Ita
Apoſtolus. Quamvis mercenarii non
ſunt reputandi ſervi Dei alt ſſimi, poti-
us autem inanis gloriolæ,& divitiarum
cupiditatem e conſpectu longe lateq;
exterminant: Deum nihilominus ſen-
tiunt Remuneratorem munificentiſſi-
mum, & neminem illius Altari gratis
inſervientem. Proculdubio Deus *ſeip-* Heb:11.6.
ſum requirentibus præmia elargitur am-
pliſſima. Et hæc breviter dixiſſe de ſe-
cunda Theſi, ſuffecerit, fuga temporis,
quæ reliqua ſunt, in anguſtius contra-
ctura.

Jam tandem ut Pollicitis conſtem,
dilapſus ſum in Coronidem Paræneti-
cam, ne tædium meis obrepſerit Au-
ditoribus, qtiam pauciſſimis expedien-
dam. Vos uberioris ſpei Juvenes (*Bac-
calaurei*) quos idoneos Auditores, tum
Moralis Philoſophiæ, tum Theologiæ
arbitror, vobis, unicuiq; veſtrum,quod
ſupereſt nuncupo προπεμπτικόν.

1. A me ſerio exorandi eſtis, totius
vitæ Inſtitutum penitius introſpicere,

&

& ad examen revocare inſtillatam ab Adamo luem, in vobis reſidentem, nec non totius juventutis veſtræ nequitias, iterum atq; iterum repetitas, lugere, emundare, & pro virili corrigere. Quantam in conſcientia relinquent cicatricem vitia, vel ætate tenerrima perpetrata! Puer eſt inſtar *pulli onagri*, nullis vix coercendus frænis, rarioribus cicurandus remediis & emolliendus; Quorum rebellis eſt voluntas, a præceptis ſalutiferis devio deſciſcens veſtigio. Plurimorum ſcatet hæc ætas vitiorum maculis, non quâ eundum eſt, ſed quâ itur properatura. Idcirco ſerio vobiſtum reputate, & in *Ephemeridem* (quoad noſſe & poſſe) peccatorum juvenilium numerum colligite, & pœnitentiam agite non pœnitendam, animorum conſternatione confuſi, in pulverem, & cineres redacti, & cum *Pſalmiſta*, precibus Deum interpellate, *Errores quis intelligit? Ab occultis me abſolve Domine.*

Pſal. 19. 12.

2. Ad ſtudium Scripturarum aſſiduum, & earum cuſtodiam, vos amica velim admonitione commonefactos. Quorumlibet *Doctorum* ſpiritus explorate, juxta verbi divini *Lydium lapidem*.

2.

Summa

ſumma navanda eſt opera, huicq; operæ neceſſe eſt ut indelinenter invigile-tis, ita ut ſcientias omnigenas, ſtudia quælibet, actiones ſingulas, ad normã Scripturarum quadretis & componatis. Hic gradum ſiſtite, & ſacrarum literarum cognitione contenti acquieſcite. Ad arbitrium Scripturarum omnia reducenda ſunt *Dogmata*, & omnia *hoc Judice ſupremo, Infallibili* determinanda. Siquis alias Scripturas, vel Revelationes non-ſcriptas introduxerit, ſit *Anathema Maranatha*. Verbum Dei ſumma veneratione in æternum ſuſpiciendum noveritis. Multi idcirco eſtote in hiſce paginis evolvendis, precum præeunte miniſterio. In hiſce Fodinis juvat uſq; & uſq; deſudare, ad divinæ ſapientiæ Theſaurum eruendum.

Non niſi ſublato reperitur gemmula ſaxo. Nullus tranſmittendus eſt Dies ſine ſecretis precibus, ſine ſcripturarum lectione, & meditatione earundem. Hinc emerget fructus uberrimus, ampliſſimum ſane Laboris præmium. Hoc unico ſtudio ad *æternam ſapietis ſalutem.*

3. A me pariter summis precibus rogandi estis, ut a nuperis sive novitatis reis opinionibus nunc dierum instar gangrænæ serpentibus, quam cautissimè abstineatis.

Virg. Eclog. *Frigidus (O Juvenes fugite hinc) latet anguis in herba.*

Omnia magna locutus est *Tigellius*, apud *Horatium*: Grandiloquentiam, Sermocinationes, blaterant *Heresiarchæ*, Iude 16. τὰ ὑπέρογκα ματαιότητος λαλοῦντες. Nova cuduut vocabula, verba *sesquipedalia* Authorum novaturientium, obtorto (ut aiunt) collo animi sui sensa vel sine sensu exprimenda. Cujus farinæ Blaterones, merito vapulant apud Poetam,

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,

Pers. *Bassaris & Lyncem, Mænas flexura Corymbis. &c.*

Nonnulli novitatis gratiâ novorum dogmatum pruritu lascivientes, primo introducunt Hæreses in Philosophiâ, postea in Theologiâ. Somniant aliqui male petulantes *Christum Platonicum, Idealem*, hac vana Philosophiâ teneros annos inescantes, & deprædantes, quibus

bus ſi fidem adhibueritis, duplex facietis naufragium, *fidei nimirum & bonæ conſcientiæ*. In rudimentis Philoſophiæ, primoribus labiis heterodoxas primo imbiberunt opiniones, poſtea eo proruperunt audaciæ, ut in Theologia gradus Hæreticorum accumularent conſummatiſſimos. Climax iſte obtinuit vel experientiæ lumine abunde nobis patefactus: Primo quis *Scepticus*, poſtea *Hæreticus*, poſtremo prodit *Atheus*.

4. Nullas non exantlatas relinquite vigilias, ut ad ſcientiarum ſcientiam, omnium ſcientiarum A & Ω, nempe Jeſum Chriſtum cognoſcendum, acriter contendatis; Cæteræ quotquot Artes, & ſcientiæ, ζημίαν, καὶ σκύβαλα appellantur. Solus Chriſtus eſt *Via, Vita, & veritas. Ambulare vis? Ego ſum via. Mori non vis? Ego ſum vita. Fabi non vis? Ego ſum veritas. Sic Auguſtinus.* Jamdudum in mentem venit *Hieronymi*, vel per ſomnium ſe Chriſtum audiviſſe, eum ingentis culpæ acriter poſtulantem, in hæc verba, *Inveni te magis Ciceronianum, quam Chriſtianum.* Quamvis nemo uſpiam Criticorum 4. Phil. 3. 8 Joh: 14. 6

auſit Ciceronis ſtylum morſibus arrodere, ultra omnes Oratores celebrandum, utcunq; autem materiam ſtyli, nec immerito vituperavit *Auguſtinus*, *Dulcia* (inquit) *non ſunt Ciceronis opera, quia nomen Jeſu, non eſt in iis repertum.* Ad ſtudium Philoſophiæ amplectendum, non opus eſt, ut ulteriores ſtimulos currentibus admoveam, nec ipſe ullatenus improbarem, ſi modo ordinem per prius, & poſterius, integrum conſervetis. Cavete vobis, ne imprudentes in ὕστερον πρότερον impingatis, ſpreta *Domina*, procantes *pediſſequas*. Inſtar omnium, & præ omnibus, Chriſtum ſpirate, cognoſcite, & ſinu fovete chariſſimo. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, Hæc cognitio eſt ſcitu apprime neceſſaria, quemadmodum diſerta ſunt *Apoſtoli* verba, οὐ γὰρ ἔκρινά τι εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον.

Luc. 10. 42.

1 Cor. 2. 2.

5. Iterum atq; iterum vos oratos velim ut ætatis, operum, veſtriq; Temporis primitias, Deo totas curetis conſecrandas. Nolite committere, ut Medullæ in oſſibus vigentes, anniq; veſtri teneriores revireſcentes, effluant, præterlabantur, & ſocordia colliqueſcant

ſcant. Ob oculos, ora, & corda ponite monitum undiquaq; ſerium, & tempeſtivum, *Recordare Creatoris tui, in diebus Juventutis tuæ Præcocem deſiderat fructum anima Dei.* Utinam amica quadam vi, hæc opportuna admonitio, non tam ſuadendo, quam perſuadendo, in veſtra viſcera poſſit influere, uti omnigena mora, Veterno, Apologiarum foliis quotquot ſiculneis longiſſime ſepoſitis, æternæ animarum veſtrarum ſaluti conſultum, & proſpectum iri, pro virili eniteremini. Exemplaria imitatione digniſſima vobiſmet proponite *Samuelis*, *Joſiæ*, *Ezechielis*, ætate juniorum, non ita vitæ ſanctimoniæ, qui vel cum mammillis maternis, Jeſu Chriſti exugebant cognitionem. Eccleſ. 12. Mic. 7. 1.

Vobiſcum hodie mihi res eſt, *quibus nondum primæva pinxit barba vernantes genas*, primæ Juventutis flore vigentibus. Ad pietatis ſtudium Evangeliiq; amplexum, animos veſtros accendo, adhortor, & irrito, nec irritum fore conatum meum aliquantulum deſpero, meliora mihimet ipſi polliciturus. Moras, veternum, ſomnolentiam, voluptatum

luptatum illecebras, cæteraſq; pietatis Remoras excutite, quo pacto ξὺν Θεῷ fælicius ſuccedant vota mea, vobis ad unum omnibus, quod fauſtum, fælixq; ſit, apprecantia.

6. Memineritis præteritum reſpicere Tempus defendum, & futurum proſpicere emendandum, ne poſthac Baccho, vel Genio indulgeatis, ne in poſterum, Amicorum, potius Inimicorum, ſodalitio voſmetipſos ferrumpetis, qui re vera ſunt fures Temporis, a recto virtutis tramite vos abducturi. *Tempus redimendum eſt, monitore Apoſtolo.* Et ipſe *Seneca* vos officii veſtri ſatis commonefecit. *Jam tandem* (inquit) *ad Temporis jacturam ventum eſt, in eo profuſiſſimi, cujus unius honeſta eſt avaritia. Brevem non accepimus vitam, ſed fecimus non parum habemus temporis, ſed multum perdimus.* Eſtote itaq; providi Temporis curatores. Quam ocyſſimo pede labitur non ultrà moranda Temporis neceſſitas: Avium volatu, ſagittæ jactu, ipſa cogitatione velocius tempus præterlapſum eſt. Et cito nimium elapſa eſt hæc horula.

EPh: 5.16. Sen: lib. de Brev. vitæ.

7. Ad vitæ ſanctimoniam & quoad

Θεολαν

θεωρίαν & quoad πρᾶξιν vos ſerio adhortor, ut vitæ totius curriculum, juxta *Paulina Adverbia*, σωφρόνως, δικαίως, εὐσεβῶς, tranſigatis integerrimum. Sicut *is, qui vocavit vos, ſanctus eſt; ipſi quoq; ſancti in omni converſatione reddamini.* Τὸν ἁγιασμὸν διώκετε. Τὴν ἐπιστολὴν ἐπιτελεῖτε ἐν φόβῳ Θεοῦ. Ex animo efflagito, ut *Pueri* eſſent *puri*, ἐν τῇ καρδίᾳ καθαροί, qui ſoli, tandem viſione potientur beatificâ, ſummæ comprehenſores gloriæ. Sic *Academia* pietatis erit, æque ac liberalium ſcientiarum officina, & ſingulis ſocietatibus *Jehova Shamma* inſcribetur. Faxit Deus.

Tit. 2. 12. 1 Pet. 1. 15. Heb. 12. 14. 2 Cor. 7. 1. Mat. 5. 8.

8. Ultimo ad vos, expiraturus redeo (*Baccalaurei* reliquiq; Juventutis Atticæ Auditores) Pro *forma* eſtis, pro *fama* potius, in hac proxima Quadrageſimâ determinaturi. Cavete vobis a ſtrepitu, tumultu, pedum ſupploſione, & ſtudio partium, ne ſocietates committantur inter ſe, & foveantur inimicitiæ, priſtino Academiæ vulnere recrudeſcente. Licet & decet, in arenam creſcendere in Palæſtrâ Philoſophicâ, ded uti debetis argumentis tantummodo *Demoſthenicis* non *Bacillinis* Arte non

8.

Marte tentaturi. De Academiæ hoſtibus nec immerito conquerimur, bonis literis, (quarum ſunt prorſus imperiti) infenſiſſimis. Præcavendum autem eſt, ne juvenili Antagoniſtarum digladiatione, rixis ingruentibus, Bacchicis compotationibus, habitibus effæminatis, ipſi ſitis Academiæ dehoneſtamento, vobiſmetipſis longè inimiciſſimi. A *Templo* ad *Scholas* hodie veſtis properaturi, ubi pro more, *per alium* eſtis reſponſuri. Sed ſciendum eſt, appropinquare tempus, quo quilibet per ſe reſpondebit, totius vitæ rationem ad amuſſim redditurus. Pro vobis, in die Judicii *veſter* non reſpondebit. *Ariſtoteles.* Memores idcirco eſtote iſtius diei noviſſimi, quam citiſſime adventuri. Interea (*monente Hieronymo*) *diſcite eam, ſcientiam in terris, cujus cognitio perſeverabit in cælis.* Animos Chriſti cognitione excolite, eidemq; invigilate totis viribus operam veſtram hac ex parte reddituri fælici indole elucubrandam. Doctrina veſtra, imo quarumlibet ſcientiarum peritia, abſq; pietate, venenum eſt; Quos habet, inflat, quos inflat, necat. Ne ad vos pertineat

Cenſura

cenſura *Auguſtini, ſurgunt* (inquit) *indocti, & rapiunt cælum, & vos cum doctrina veſtra, in Gebennam detrudemini.*

Faxit Deus Optimus Maximus, ut Præmiſſæ in veſtris infigantur memoriis, & ad πρᾶξιν quotidianam redigantur, e veſtris cordibus nunquam elapſuræ. Quid aliud reſtat, nisi ut ab hortationibus, ad Precationes, provoluti in genua revertamur, divinam implorantes majeſtatem, ut ſemitas noſtras ſecundum verbum ſuum complanet, & dirigat, ut dignetur, quæ audivimus, in Tabulis Cordis inſculpere, & Concionatoris, & Auditorum, ſingulos lapſus præterire, beatoſq; nos reddere, verbum ſuum audiendo, & cuſtodiendo, uti tandem perveniamus ad ipſiſſimum Beatitudinis fontem, facie ad faciem, ſanctam & Individuam Trinitatem in æternum contuentes, ubi numquam peccabimus, nec dolebimus ulterius. Quo nos deducat Deus maxime miſericors, per viſcera miſericordiæ in Jeſu Chriſto unico ſuorum Mediatore patefacta: *Cui, cum Patre, & Spiritu Sancto, ſit omnis honor, laus, & gloria, in Sæcula Sæculorum.*

A M E N.

CONC. II.

AD BACCAL:

Feb: 8. 1653.

ECCLESIASTIS C. 12. V. 1.
Sic Scriptum Legimus.

Memento Creatoris tui, in Diebus Juventutis tuæ.

QUÆ Verba prima fronte intuenti, videntur contradicere versui penultimo capitis præcedentis, utputa: *Lætare juvenis in juventa tua, Et Recordare Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ.* Quæ consilia audiunt ἀνύστα-

ra, & e Diametro oppoſita: utpote *Eccleſiaſtes* haud ſatis ſibi conſtat, ejuſq; ſcripta committuntur inter ſe Atqui ſiſte parumper, quiſquis es, qui credula nimis aure propendes in ſirenicas voluptatum illecebras, vel præpropero & corrupto gloſſemate, procudis: affingiſq; bono textui ſenſum novitatis reum, ab Authoris mente longe alieniſſimum. Satis conſtat penitiori indagine in præfatum verſum introſpicienti, ſubeſſe *ſarcaſmum* & *Ironiam*, quarum ope figurarum, *Rhetoris* perſonam ſuſtinens *Eccleſiaſtes* ſeverius animadvertit, acriuſq; involat in voluptates juveniles, peccandi fomites & ſentinas. Quod ſi fiat accuratior Antecedentium cum conſequentibus collatio, ulterior muſſitandi facultas vel ipſi *Zoilo* præcidetur, ſcilicet, *ſed cognoſce fore, ut propter omnia hæc adducat te Deus ipſe in judicium.*

Cum primum hæc tonitrua Juvenum auribus inſonuerint, longævam vitam de repente habent obtentui, pluſquam *Neſtoream*, & ſole tandem ad Occaſum vergente, receptum ad ſaniorem mentem per facilè ſibimetipſis ad-

blandi-

blandiuntur: Quocirca Spiritus Sanctus *Prolepsi* utitur admodum tempestivâ, uti omnimodam prærípiat ansam, ulteriorum ſubterfugia dilationum quæritanti: Quemadmodum obviâ ſe nobis dant verba contextus meridiana luce clariora, Et vel *igitur Recordare Creatoris tui, in diebus Juventutis tuæ.*

Quo contextu occurrunt tria, notatu digniora nimirum *Actus, Objectum & Tempus.* Actum quod attinet זכר Recordare. *Compone te ad timorem Dei, & ad diſcendum præcepta ejus,* ſic *Piſcator.* Hic *nota, verum Dei cultum notari, adjuncto recordationis,* hæc eſt germana doctiſſimi juxta ac Pieteiſſimi *Carthwrighti* inpretatio. *Studio tuo & obſequio teſtificator te etiam in lubrica illa ætate duci recordatione & reverentia Dei. Hæc enim ſola recordatio viros bonos facit,* ſic *Junius* annotat in locum. *Cogitandus eſt Deus a teneris annis,* Ita *Vatablus, Juvenes ante omnia pietatem colant, meminerint q, ſe habere Creatorem, ex quo habeant ſuum eſſe, vivere & operari, & ſapere, & velle bonum, ſine cujus nutu, nihil ſit omnis creatura, cujus voluntati & mandato obſequi homines debeant,*

Piſcat. in locum. *Carthw:* in locum.

Junius in locum. *Vatab:* in locum.

Ita

Pellic. in loc.

Ita *Pellicanus*. Verſio 70 *Interpretum* valde Emphatica eſt: *καὶ μνήσθητι τοῦ κτίσαντός σε ἐν ἡμέραις νεότητός σε*. Et eſto memor *Creatoris* tui, *ut glorifices eum in diebus Adoleſcentiæ tuæ*: Uti ſe habet Chaldaica Paraphraſis. Audiatur *Lutherus*: *Hæc omnia* (inquit) *ideo dico, quia volui te liberum eſſe, ab affectibus juvenilibus ut Deum reverearis, & iis utaris, quæ tibi ab eo data ſunt*. Quoniam labilis eſt memoria, & ad inſtar *Cribri* ſæpiuſcule perfluit, neceſſe eſt ut memoriam, necnon reminiſcentiam refricemus, ut Dei optimi Maximi Recordationem, amne Lethæo dilui nunquam patiamur. Ob hunc finem *dies feſti* tum primum inſtituebantur, erigebantur *monumenta* ære perenniora: *Pſalmi Euchariſtici* alta vociferatione decantabantur, *Decalogus* poſticis inſcribebatur, & parietibus: *Frontalia*, *Phylacteria*, nomina ſatis apta pro re natâ impoſita, antiquam obtinebant conſuetudinem. Quid aliud ſibi volunt hæc omnia, niſi ut divinorum memoria beneficiorum, poſteris nunquam emoritura tranſmitteretur? Idcirco *meminiſſe* perinde eſt, ac ſi cultum, deſiderium, affectum, obſequium,

70 *Interp.* *Chald. Paraph.*

Luth. in loc.

ſequimur, imo omnia Deo debita præſtaremus, officia. Quippe quod palam eſt, verba *notitiæ* affectus connotare integerrimos.

Sequitur objectum את בוראך verbum בראּ Creavit eſt Primogenium: *Hugoni Broughtono*, apprime docto Theologo, cæteriſq; haud infimi ſubſellii Interpretibus, pluralis *Creatorum* numerus potius arridebat. Inde colligunt divinarum Perſonarum *Trinitatem*, & cuilibet, obſequii maximum quod ſic, de jure perſolvendum eſſe. Alia autem non poteſt excogitari ratio validior, quia te creavit Deus, tuum itaq; exigit obſequium. *Agnoſcite* (inquit *Pſalmiſta*) *Iehovam eſſe Dominum, ipſum effeciſſe nos.* Αυτὸς γὰρ ἐποιησεν ἡμᾶς, Pſal:100.3
Eph.2.10. Ζωὴν, καὶ πνοὴν, καὶ τὰ πάντα, no- Act.17.25.
bis elargitur Deus. Quid ni cogeret amor reciprocus, ut ζωὴν, καὶ πνοὴν, καὶ τὰ πάντα, illi, unde emanarunt, accepta referamus? Cultus Deo debitus nec patitur cunctationes, nec Apologias in unũ aut alterum diem reiiciendus. Ex contextu liquet בימי בחורותיך In diebus *Iuventutis ſive electionis*, ut *Pagninus* exprimit. Inde Juvenis per Metalep-

ſin

Legh. Crit. Sacr. sin בחור ut doctissimus observat Κατ' ἐξοχὴν, Juventutem Deus eligit, quin & nos Juventutem eligamus, ætatem revera maxime aptam, habilem, & idoneam ad negotia maximi momenti obeunda: Sive eligat, sive eligatur Adolescens, hanc comperiet ætatem, præ cæteris, maximo sibimet quæstui futuram. Hæc obiter. Fusius de hisce in sequentibus differendum est. Summa Præmissarum restat, unicâ Thesi enucleanda, nempe quod —

Thes. *Imprimis memoriâ retinendum est, ætatis nostræ Primitias Deo totas esse consecrandas.*

Quod ipsum dicendorum τὸ κεφάλαιον, rem sane immensi operis, usuisq; singularis, arrectis auribus & animis accipitote. Ut pro more a me solenniter observato, constet de Methodo Auditorum captui attemperandâ, prægestit mihi animus, prædictam Thesin *Explicandi, Demonstrandi, & Applicandi* stadia inter concionandum quam ocyssime peragrare; quæ cum primum calamo tantum non volatili expedivero, vestram patientiam denuo liberatam noveritis.

Quod ſpectat ad primum Propoſitum ſc: καθότι, τὸ ζητέμενον, prius proponitur. Ambigitur enim, Quomodo Juventus noſtra poſſit Deo tota conſecrari? Dicimus, vires animi & corporis valentiſſimas, medullas, ſpiritus, quotquot corporis membra, Animi facultates, interioris pectoris penetralia, totius vitæ Inſtitutum, utiq; omnia, Deo prorſus eſſe conſecranda. Quinimo Deus ipſe cordi primas defert, toties ſuum, peculiari jure, ſibimetipſi vendicans, quoties abunde patet ſacram paginam conſulenti. Operæ pretium futurum autumo, ſi cordis (quale quale fuerit Deo dicandum) πνευμάτικα χαρακτηριστικὰ vobis dilucidius innotuerint Inſtar omniũ quatuor χαρακτῆρες veſtris obverſantur oculis, nempe cor unũ uni, Purum Puro, totum toti, Præſens, præſenti Deo deberi omnia, eiq; ſoli veluti ὁλοκαυτώματα, offerri debuiſſe.

1. *Explic. Dub:*

Sol.

Hæc ſigillatim pertranſire pede licet ſicco. Inſtituti noſtri ratio poſtulat.

1. Unum Cor uni Deo offerendum eſt. Unum, verum, Perfectum, & Bonum, apud Metaphyſicos convertuntur, & mutuam ad invicem con-

notant habitudinem. Numerum binarium *infamem ideo fuiſſe, quia primus auſus eſt diſcedere ab unitate, Author eſt Pythagoras.* Hæc ſatis vulgaria ſunt. Audiatur autem Moſes. *Audi* (inquit) *Iſrael, Jehova Deus noſter unus eſt.* Unus eſt Deus, eiq; ſoli divinus debetur cultus, nulli creaturarum transferendus. Unum pariter oportet eſſe cor, Deo devotiſſimum. Siquidem *unum eſt corpus, unus ſpiritus, una ſpes vocationis, unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium.* Nemo uſpiam diffiteri poterit, quin *unum Cor, uni Deo,* inſtar omnium ſiſtendum ſit. Duplex verò, ſeu *Multiplex,* Deo quam maximè inviſum, & protinus avertuncandum.

Deut. 6. 4.

Eph. 4. 5, 6, 7.

2. 2. Purum Cor puro offerendum eſt Deo. *Purior eſt oculus Deus, quam ut malum aſpiciat. Clamabant ſeraphim, ſanctus, ſanctus, ſanctus eſt Iehova exercituum.* Cordis puritatem in præcepto præcipuo tradidit *Iacobus*, Καθαρίσατε χεῖρας ἁμαρτωλοὶ, καὶ ἁγνίσατε καρδίας δίψυχοι. Quod ſæpius poposcit Deus, ſe lubentius daturum pollicetur apud *Ezechielem. Et aſpergens vos aquis Mundis, ut mundemini*

Hab. 1. 13. Iſai 6. 3.

Iac. 6. 8.

Ezek. 36. 26, 27.

mundemini ab omnibus impuritatibus veſtris, & ab omnibus ſtercoreis Diis veſtris, vos mundabo. Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam, in medio veſtri. Cor mundum (inquit *David*) *crea in me Deus.* Pſal: 51. 12
Hic Labor, hoc opus eſt. Orandum, invigilandum, a ſingulis enitendum eſt, quî ſimus ex impuris naturalibus eruendi, cor novum a fæcibus repurgatum Deo oblaturi.

3. Cor totum toti Deo offerendum eſt. *Synecdoche partis* a Theologiæ confinio longiſſimè exulat Deo omnino ingratiſſima. *Dividatur*, *Dividatur*, vociferationem intelligo meretrice dignam. Reatu haud mediocri laborat *animus diviſus*. *Propheta* ad inſtar Buccinæ grandiorem attollit vocem, *Convertimini* (inquit) *ad me ex toto animo veſtro*. Ecquid iuſtius quam ut totum quod creavit Deus, ipſi totum retribueretur? Zelotypus eſt Deus, ne tantillum gloriolæ ſculptilibus dignaturus imaginibus. Divide, & Impera, Dictum erat uſitatius, *Machiaviliano* dignum Artifice ſeu Præſtigiatore. Divide autem & regnare deſine, dictum eſt Chriſticolarum experientiæ multo ma- 3. Hoſ: 10. 2. Ioelis 2. 12

gis consentaneum. Rivalibus nuntium remittit Deus, singulis *Antichristi* membris, cultoribus Heteroclitis, Hermaphroditis, Ambidextris Ζωοις ἀμφιβλοις cæterisq; bifrontis Jani commilitonibus: cujus Regnum non patitur duos, multo minus Belluam multorum capitum.

4. 4. Cor Præsens. Præsenti Deo offerendum est. Σήμερον Σήμερον, vox Dei sonat. Ἄνειον, Ἄνειον, sonat vox Diaboli. Audiatur *Seneca Tragicus vester* (utinam tamen Tragici & Comici plus nimio non circumvolitassent in Tyronum Musæolis) *Nemo* (inquit) *tam Divos habuit faventes, crastinum ut possit sibi polliceri.* Ad eundem collimat scopum cautela *Siracidis*, *Ne differas te ad Dominum convertere, neq; rejicias de die in diem.* Consulendus est *Propheta*: *Requirite Jehovam, quum præsto est, invocate eum, quum est propinquus.* Ἰδὲ νῦν ὁ καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδὲ νῦν ἡμέρα σωτηρίας. Abiit præteritum instar sagittæ ex arcu projectæ, nec in posterum redituræ. Futurum nondum est, nec in nostra situm potestate. Τὸ νῦν solum est præ nostris manibus, cujus jactura est lon-

Ecclesiast. 5.8.

Isa. 55.6.

2 Cor. 6.2.

ge

ge periculoſiſſima· Τὸ νῦν præſto eſt, quo Jeſus Chriſtus Cordis noſtri januas pulſat vehementius, & aperienti haud invitus præſtolatur, quîcum ſe cænaturum ſpondet, eumq; utriſq; ulnis amplexurum. Hodie tecum colluctatur ſpiritus, & diſcéptat (cui ineſt σοφία πολυποίκιλος) πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, nunc corripiendo, nunc admonendo, nunc arguendo, nunc conſolando, nunc metu iræ venturæ perterrefaciendo, nunc expanſis miſericordiarum viſceribus alliciendo, At, at, proh dolor! Spiritus ſanctus ſæpe ſæpius læſam conqueritur patientiam, & ingemiſcit. Quâ tantopere læſa, furor Arma miniſtrat internecina. Hodie Turturis auditur vox, & Gallicinium. Hodie tecum ſponſalia contrahere, & fœdus percutere ſempiternum jubet Deus, imo obſecrat. Quod ſi ſurdo magis magiſq; indies cecinerit & immorigero, ſi conatus omnes in caſſum ceciderint, & Miſericordiarum ſtillicidium guttatim confluentium, nondum cor ſaxeum excavarit, de futuræ miſericordiæ ſpeculâ protinus actum erit. Annon fidem, adhibebitis Ange-

lo juranti ὅτι χρόνος οὐκ ἔσται ἔτι. Avolavit tempus nulla ſpe redeundi, auro pretioſius omni, repetundarum acervis nunquam recuperandum. Inſtat Mors φοβερῶν φοβερώτατον, non ultra moranda, preces, pretia, vadimonia (omnia dixerim) ſuſq; deq; habitura.

2 Demonſt. duplex. ὅτι καὶ Διότι.

Hactenus de primo Propoſito, ſequitur ſecundum, ſc. *Demonſtratio* quæ eſt duplex ὅτι & Διότι. De priori prius dicendum eſt. Quod probandum reſtat, copioſiſſimum eſt dicendi ſeminarium, quo orationis jugera facile poſſint locupletari. Quod ſi in planitiem expatiarer, reum habebitis confitentem --

Inopem me copia fecit.

Electionis tuæ flos, ætatis tenerrimæ lanugo, vel ipſiſſima in faſciis vagiens Infantia, Deo dicanda ſunt. Sive ſint Infantes, ſive Pueri, ſive Ephebi, ſive Adoleſcentes, proculdubio eorum intereſt, Dei obſequio ſe totos emancipare, ita ut æterni memoria Creatoris ex eorum animis nunquam excidat, nunquam elabatur. In Proverbium abiit Diabolicum ---

Angelicus juvenis ſenibus ſatanizat in annis.

Cui Hexametro Tartari genuinæ ſoboli totus refragatur *Solomon*: *Inſtrue* (inquit) *puerum pro ratione vitæ ipſius, etiam quum valde ſenuerit, non recedet ab illâ. Bene eſt viro huic, quum tulerit jugum in puritiâ ſuâ. Quomodo purificabit Adoleſcens ſemitam ſuam? Obſervando eam ſecundum verbum tuum.* A puero ſacrarum literarum cognitionem imbibebat *Timotheus*. Qualem ab *Avia* & a *Mammillis Maternis* exugebat Infans, talem adultus ſinu amplectebatur chariſſimo, uſq; & uſq; amplexurus. A primis Incunabulis, precibus datus eſt à Deo *Samuel*. *Joſiah*, cum puer eſſet, ad cultum Dei totis viribus ſemet ipſum accinxit. Mira fuit indoles *Edvardi ſexti* Angliæ Regis ultra ætatis ſuæ Συγχέρνες pientiſſimi, ætate fateor juvenis, Moribus autem ſenis, qui a prima incunte ætate, cùm divinioribus tum humanioribus literis probe inſtructus fuit, ultraq; ſuos *Ephoros* pio zelo inflammatus.

Prov: 22. 6
Lam: 3. 27.
Pſal: 119. 9
2 Tim: 3. 15.
1 Sam: 1. 28.
2 Chron: 34. 3.

Quid plura memorare ſatagerem? Satis conſtat *Auroram*, non tam *Muſis*, qam *Gratiis*, peramicam, & Matuti-

num Deo pergratum ſacrificium. Hinc *Abrahamus* primo mane ſurrexit ad *Holocauſtum* Deo offerendum. *In ipſo crepuſculo venit David ut vociferetur.* Inſuper dulciſſimus ille *Pſaltes* Iſraelis altâ voce exclamavit: *Evigila Nablium & citharа, expergiſcar inde ab Aurora. Hinc terræ Primitias Deus exigit, necnon filiorum Primogenitum.* Præcox fructus Deo *eſt in ſummis deliciis. Iuvencus ſubrumus integer, in peccatum Iehovæ eſt offerendus. Frugum maturarum primitias, & liquoris, ariſtas recentes igne toſtas, & quod contuſum fuerit e ſpicis virentibus, præ aliis* Dominus *efflagitat. Amygdalus* quam citiſſime germinans Deo perplacet. A puero, imo ab utero Materno, ſanctificavit Deus *Ieremiam*, & Prophetam Gentibus conſtituit. Hinc liquido conſtat, quanti habeantur apud Deum, ætatis optimum, flos lactis, medullæ, ætas vegeta, vernans, florida inſtar virgæ Aaronicæ germen producentis, quæ emiſerat florem & educebat Amygdala. Sed temporis monent anguſtiæ, ut ulteriori ſuperſedeam hujuſce Demonſtrationis elucidationi.

Gen:22. 3.
Pſ. 119. 147.
Pſ.168.3.
Exod. 25. 19.
Exod.22. 29.
Num:19.2
Exod. 22. 29.
Ier. 1.10.
Ier.1.10.
Ier.1.5.

Demonſt. Διόπ.

Sequitur altera *Demonſtratio Διόπ* ſi-

ve

ve triplicis Argumenti ſubſidium e contextus viſceribus luculentius eruendum. Siquidem Creatoris meritum, Juventutis ætas commoda, ſenectutis incommoda patentiſſimum dicendi campum nobis ſatis ſuperq; ſuppeditant.

Primum Argumentum eſt de Jure Creatoris. *Ad imaginem ſuam Deus creavit hominem, & ſufflavit in nares ipſius halitum vitæ*, Hinc Daniel ſummæ ingratitudinis inſimulavit *Belteſhazzar* poculа ingurgitantem & faſtu neſcio quo ſuperbientem: *Deum* (inquit) *in cujus manu eſt anima tua, & penes quem totum iter tuum eſt, non glorificaſti.* Penes Deum eſt vitæ necisq; poteſtas, Lucem qua fruimur, ſpiritum quem ducimus, Angelorum ſatellitium, quo protegimur, a Deo nobis impertiri omnia, gratanter agnoſcere debuiſſemus. Ἐν αὐτῷ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμεν. Quæ totidem verbis ab *Arato*, mutuo accepit *Apoſtolus* utpote Auditores Atticos πνευματομάχους ſuo gladio perfacilius jugulaturus. Animam divinæ auræ particulam creando infuſam, & infundendo creatam a Deo accepimus. Potentias

Arg. 1.
Gen. 1. 27.
Gen: 2. 7.
Dan. 5. 23.
Act. 17. 28.

tias animæ nobiliores *Intellectum (velim) & voluntatem* Deus condidit. Linguam oculos, cerebrum, brachia, humeros, manus, pedes a Deo dari omnia, haud ſatis ſcire poterimus, nec ſi ſatis ſciverimus, ſatis prædicare valeamus. Quot membra, tot requiruntur ora, Creatoris gloriam ebuccinatura. Poteſtas, in inſtanti, & ex nihilo creans cæli terræq; compagem univerſam, obſequium, Timorem, Reverentiam optimo jure depoſcit, e cordis integerrimi rivulis emanatura. Conſulatur *Ieremias*: *Annon me reverebimini, dictum Iehovæ? An a facie mea non contremiſcetis?* *Qui diſpoſui arenam terminum mari, ſtatuto perpetuo, quod non tranſgredietur.* Hæc ſunt ἀναντίῤῥητα. Utcunq; de hoc Argumento κατακόρως. ne fortaſſis ex improviſo recitetur--- Τὸν δ' ἀπαμειβόμενον.

Ier. 5. 22.

Arg. 2. Tranſeo autem ad Secundum Argumentum, a commodâ Juventutis ætate eliciendum, vigente nimirum, floridâ, amabili, & perita & parata ad exhibendum Deo obſequium paratiſſimum. Juvenum corpora ſunt vegetiora, eorumq; lacerti ſunt valentiores.

Rutilant

Rutilant oculi, ignei, flammivori; Perſpicax eſt ingenium, quibus mira accedit animi ſolertia, acumen ſingulare. Libere permeant, & circumeunt ſpiritus. Cor incaleſcit ſanguine, & refocillatur. Amabilis eſt vultus decor, oris venuſtas mirabilis, formæ nitor deſideratiſſimus. Genæ ſunt rubore ſparſim perfuſæ, Tenax eſt memoria, Animus perquam promptus. Hinc ætas juvenilis, *bona apud Ciceronem, optima apud Senecam exiſtimatur*, Et (quod dictu præcipuum eſt) Deo Optimo Maximo perchara, & pergrata eſt juventus: *Recordor* (inquit) *tibi benignitatis Adoleſcentiæ tuæ, amoris ſponſalium tuorum.* Ier:2.1. *Ad vos mihi ſermo* (inquit *Auguſtinus*) *flos ætatis, periculum mentis.* Quod ſi primævæ ætatis floſculos vigentes admodum, & vireſcentes Deo obtuleſimus, ſacrificium ei futurum pergratiſſimum, non eſt ut aliquantulum vereamur. Verum enim vero hæc ætas poteſt nec immerito comparari *Ieremiæ ficubus*, Ier:24.2. modo ſuo genere optimis, modo peſſimis, vel cenſuræ ſatis tritæ, qua *Origenem* haud immerentem, ſolemus perſtringere, *Viputa - ubi bonus, nemo melior,*

melior, ubi malus, nemo pejor. Corruptio optimi, eſt peſſima: Laſcivit juventa, ferocit, audet, minitatur, contradicit, debacchatur, peſſundat omnia, ad inſtar *Phaetontis*, ut cælum terræ miſceat, nullum non motura lapidem. Nulla patitur repagula, correptionem nullam, nullas habenas, Magiſtratum nullum. Quo ſpectat *Mantuani virgula cenſoria* in hanc ætatem appoſite ſatis intorquenda

Lege, modo, ratione caret, confinia recti
Negligit, extremis gaudet, facit omnia voto
Præcipiti.

Graſſatur in Deum & homines, ruit in præcipitia, nititur in vetitum, cui ῥᾳθυμία eſt morbus Epidemicus, cui quicquid libet, licet -

Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

Vos autem (ex meliore luto ficti Juvenes) vobiſcum ſerio reputate; Quot vitiis ſolet diffluere ætas tenerrima! Quodnam relinquet facinus intentatum? In quam turpiſſimæ immunditiei cloacam ſuapte ſponte incidit? Dies deficeret priuſquam Oratio, niſi capita rerum ſolummodo attingere, mihi eſſet

esset in propositio. Plura taceo, de vobis spem multo uberiorem lubentius mihi polliciturus.

Undiq; percrebuit *Axioma*, *Quod contraria juxta se posita magis eluceſcunt*. Quænam fuerint Juventutis cõmoda, fusius enarravimus. Quæritur quænam sint senectutis Incommoda? Hæc est provincia mihi demandata, proximè suscipienda: Et ita dilapsus sum in tertium Argumentum, ab incommoda senectutis ætate depromendum.

Mala hæc ætas audit undiq:. Consulenda sunt verba subsequentia: *Tantisper dum non adveniunt dies ipsius mali. Antequam veniat tempus afflictionis tuæ*, ita *Hieronymus*: *Antequam senectus veniat: senectus enim per se morbus est, etiamsi nihil præterea morborum accedat. Amittunt enim senes vigorem animi, & corporis; senectus non habet nisi dies malos, neq; utilis est rebus gerendis*, sic *Lutherus*. *Priusquam obrepserit senectus molesta, & multis nominibus incommoda, & inamæna*, Ita *Mercerus*. Hæc ætas *hyems vitæ apud Solonem* dicitur, quia res plurimas pessimas, cum advenit, affert. Quamplurimos naris emunctissimæ agnosco senes, canitie, morumq;

Arg. 3.

Hieronym. in locum.

Lutherus in locum.

Mercerus in locum.

Morumq; gravitate venerandos. Quorum nominibus ſoleo aſſurgere, ſummaq; veneratione deoſculari. Mihi ne per ſomnium quidem unquam in mentem venerat, viros ætate matura graves, ſagaces, ſobrios, vel leviuſculâ proſcindere contumeliâ, vel tantillum eorum meritis detrahere. De vitiis & nævis *Senectutis*, mihi tantummodo res eſt, & dum libere fero animi mei ſententiam, mihi in propoſito eſt

Parcere perſonis, dicere de vitiis.

Multa ſenem circumveniunt incommoda, teſte Horatio. *Solet ſenectus eſſe deformis, infirma, edemula, oblivioſa, indocilis, & moleſta, Catone judice.*

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto. Caligant oculi, ceſpitant pedes, contremiſcunt genua, manus ſunt Paralyticæ. Defloreſcit formæ nitor, obrigeſcunt artus, labaſcit memoria. Hebeſcit ingenii acies. Bis pueri ſenes, viribus & animi & corporis avolantibus. Pulmones, ſpiritus, ſanguis, medullæ, cum ſenſus exteriores, tum interiores deficiunt. Capularem ſenem, nec auſim inter vivos, nec mortuos numerare, σκιλετὸν pænè dixerim tantum

tum non inanimatum. En ſenium palpitans, excandeſcens, titubans, rapax, tenax, deliràns, querulum. Hæc cum ſenectute nec inconcinnè quadrant Epitheta. Quanto ſunt ſenes ſibimet, aliiſq; oneri, præſertim quum *Tuſſis*, *Podagra*, aliorumq; complurium morborum Iliades ipſis ingruunt. Quam inepti ſunt, & inhabiles ad munia peragenda, e re publicâ, ſpeciatim e re ſuâ nempe ad ſalutem ſpectante ſempiternam. Siccine? Num ideo quiſpiam ſui compos, Diaboli reliquias Deo dare præſumpſerit? Perinde eſt, ac ſiquis oſſa exanguia, & exiccata, & præterea nihil, (ut reverentia inter dicendum utar) Dei menſæ apponeret comedenda, poſteaquam vigentioris ætatis medullas Diabolus devoravit. En *Malachiam* Prophetam, immane hoc opprobrium graviter inſectantem. *Nam cum affertis animal cæcum ad ſacrificandum, nihilne eſt mali? Et quum affertis claudum, & agrotum, nihilne eſt mali?* Diroq; feriendus eſt Anathemate *Machinator ille, qui cum ſit in grege ipſius Maſculus, vovet & ſacrificat corruptum Domino.* Mal: 1. 8.

Huc uſq; de prioribus Propoſitis in immen-

immenſum ſermonis noſtri filum protraximus: Jam jam fuga temporis prænoniti, ad ultimum quod propoſuimus, reliquum eſt, ut noſmetipſos accingamus, Tenediâ: (ut aiunt) bipenni expediendum. Quæritur cuinam uſui practico, Theſis præfata ſit accommodanda? Quod ſupereſt, pauciſſimis expediam. Fratres in Chriſto dilectiſſimi, vos ſerio oratos velim, ut peramice, multo minus in ſequiorem partem interpretemini, quæ gloria Dei ob oculos poſita, Almæ Matris Academiæ decus, & ornamentum, utiq; amor veſtrum ſingularis, mihi piâ zelotypo zelotypia peroranti ſuggeſſerunt.

Vſus 1. 1. Memineritis, præ omnibus, vires, medullas, acumen, exiguum id quod eſtis, imo totum quod ſic, Deo deberi & conſecrari debuiſſe. Cum ita ſe res habeat, nolite ullatenus committere, ut a Deo quod ſuum eſt, fruſtulatim ſubducatis. Ἀκρόασιν, Ἀνάγνωσιν, Νοῦν, καὶ Διάνοιαν, ſpem, timorem, gaudium, totum hominem, totumq; hominis Deo dedicate. *Ananias* ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς, & illico ultrice Dei manu ictus occubuit Cavete vobis, nequid leviuſcu-

leviuſculi affectus, Deo ſuffuremini. Arca & Teraphim, Deus & Baalim, Chriſtus & Antichriſtus, cultus verus & Baaliticus, non ante Calendas Græcas poterunt in unum coaleſcere ſyncretiſmum. *Redwaldus* Saxonum Rex in eodem Templo, Altare unum Deo vero, alterum falſo conſecravit. O peſſimum genus cultus Idololatrici! *Erigone* apud Apologum, canem ſuum comitem ſibi adjungi obnixe rogavit, ſecus in Aſteriſmum cooptari prorſus repudiavit. Nemo nuſpiam, nunc dierum cælum verſus oculum intendit, quaſi rectà aditurus, interea explendæ libidinis ſatietatem, anhelo ſpiritu proſequitur, *Lucianus.*

... Trahit ſua quemq; voluptas. *Virg.*

Hic ars aleatoria, illic ars gladiatoria, hic Oenopolia, illic ſphæriſteria patronos nec pauciſſimos tantummodo inter cuneos reſidentes homuncionesſibimetipſis aſciverunt. Sunt, queis cordi, & curæ ſunt Accipitres, canes venatici, Tripudia, equi feroculi. Hi, dum fugam temporis ocyſſimam conqueruntur, multum ipſius abliguriunt, modo aliud, modo nihil agendo,

quàm prodigi Temporis decoctores: sed quod mille parasangis deterius est, uni arridet Venus, alteri Bacchus, uni somnolentia, alteri crapula. Unus ἀλλοτριοεπίσκοπος, huc & illuc circumcursitando, simultates excitat, alter fovet quam primum excitatas. Genius, simul ac Ingenium, haud rarò corporis Temperamentum insequuntur. Quo pacto, unus ad hoc, alter ad aliud vitium fit proclivior, & veluti cymba prono amne in undas abripitur vorticosas. Nec est, cur bis recocta Crambe nauseam pariat Auditorum palatis delicatulis, si iterum Solomonis Ironiam ad vestram memoriam revocavero, *Lætare juvenis in juventa tua* &c. Audiatur *Calvinus*, vir ultra omnes titulos meritissime celebrandus & in æternum suspiciendus, in Libro verè aureo *Institutionum*: *Quoniam* (inquit) *habet præsens ætas plurimas blanditias, quibus nos pelliciat, multum amænitatis, gratiæ, suavitatis speciem, quæ nos demulceat, magnopere nostrâ refert, identidem nos avocari, ne talibus lenociniis fascinemur*. Quid ait *Seneca* de vita beata? *Voluptas tunc cum maxime delectat, extinguitur*. Cui in *Thyeste Tragicus*

Calv. in Inst. L. 3.

gitus accinuit -- *Nulla ſors longa eſt, dolor ac voluptas invicem cedunt. Brevior voluptas, ima permutat brevis hora ſummis.* Quapropter ſummopere a me exorandi eſtis, ne voluptatibus diffluatis juvenilibus ne vitiorum volutabro coinquinemini, (ad inſtar gladii Damoclei humeris veſtris imminentis) vobiſmetipſis perniciem attracturi ſubitaneam.

2. Mementote Temporis jacturam eſſe miſerrimam, ideoq; ſummam a vobis navandam eſſe operam, ne bonas horulas in malis nugis conteratis, ne unius neceſſarii prorſus immemores. minutiis, quiſquiliis, & λογομαχίαις diſtineamini. Sumino pretio habenda ſunt auri vel ramenta pretioſiſſima. Tempus ſane eſt auro pretioſius omni, nec exiguo emendum, nec redimendum. Somnolentia, ingluvies, vinolentia, comeſſationes pluſquam *Sybariticæ*, μωρολογίαι, βαττολογίαι, quanti & quales ſunt fures, quam cautiſſime evitandi? Utinam hortationem Apoſtolicam amica quadam vi in veſtra viſcera influere pateremini, videlicet -- Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι. Ephe. 5. 16.

2.

Atqui (proh dolor) in ea tempora prolapsi sumus, quæ censuram *Catonis* rigidiorē promerentur, *Cultus* (inquit) *magna est cura, virtutis magna incuria.* Nec inficias ire liceat ὡς ὁπὶ τὸ πολὺ, eos qui in corpore curiose nimis decorando occupantur, in cura animæ esse negligentiores. Quot effaminati Juvenes quamplurimas collocant horas, *inter pectinem & speculum*, quibus ex *Senecæ* suffragio, otiosorum stigmata merito inurenda sunt? Nonnulli in Tonstrinis frequentiores sunt, quam in Templis; Ibi, diuturnius morantur spatium: Hic, instar canis ad Nilum, lambitant, aufugiunt. Quibus sunt crines nitidi, cani, suppositicii, forsan a patibulo, vel lupanaribus mutuaticii: Vestes sunt Holoserica, vel aginatoris supellectile decoratæ, habitus effæminati, calcei rostrati, gressus superbifici. O tempora, O mores! *Intolerabilis* (inquit *Bernardus*) *est impudentiæ, ut quum sese exinanivit Majestas, intumesceret vermiculus, & inflaretur.* Cincinnis, calamistris, complurium cæsaries expansa nimis, non tam seniorum quam juniorum, nonnihil commoveor, speciatim

Bernar. in Nativ. Dom. Ser. 1.

vero

vero plurimarum horarum dispendium in istiusmodi nugis ineptiisq; decorandis positarum, haud mediocriter ingemisco. *Timeo cervicem* (inquit *Tertullianus*) *smaragdorum laqueis occupatam, ne locum spathæ non det.* Vereor equidem, ne palata delicatula, corpora mollitie effæminata, histriones Attici, *Prævaricatores, Terræ filii, seu Jocosi Mæcenates,* citius aliis in scandalum crucis impegerint, crucemq; Christi dehonestaverint. De cultu Fæm. c. 13.

3 Recordamini cultum, obsequium, & reverentiam Creatori in æternum esse persolvenda. Utpote in conspectu Dei, ubiq; præsentis, cujus centrum est ubiq; & circumferentia nusquam, ἀκριβῶς περιπατεῖτε, ἀσπίλως καὶ ἀμώμως vitæ quod reliquum est instituite pertranseundum. Deum reveremini, ejusq; mandato, quoad ultimum posse, obsequimini. Hoc est, quod Deus jure hæreditario possidet, & jubet apud *Malachiam, Filius* (inquit) *honorat Patrem, & servus Dominum, quod si Pater sum, ubi est honor meus? Et si Dominus, ubi reverentia mei?* Veterem exuite Adamum, novum induite. Jesum Christum sapite, spirate, & medullitus Mal: 1. 6.

 amplectimini

Rom. 13. 12. amplectimini. *Nox processit, dies autem appropinquat, abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu, qui luci conveniat.* Deum ob oculos indesinenter ponite, ut ejus præcellentissimâ confusi majestate, eandē magis magisq; indies suspiciatis,& revereamini. Decalogū in corde inscriptum gerite,ut eidem obsequio sitis adstricti paratissimo. Reverentiam,cultum, obsequium, *de jure* sibi vendicat Creator. Quid impedimenti inhiberet, quo minus *de facto* vel leviuscula mora sepositâ, & seponendâ, omnia ei ex animo deferamus.

Hortatio ad Bac. 4. Ultimo (*Ingenui Baccalaurei*) qui hodie estis nostræ Incudis Mallei, felix, & fœcunda Academiæ soboles, vobis, & unicuiq; vestrum,Coronidem nuncupo paræneticam. Quod reliquum est, unico manipulo accipitote, scilicet, *Sciatis malorum consortium diro confestim esse devovendum Ostracismo.* Inter nequam, & flagitiosissimorum Primipilos, Voluptia, Mars, & Bacchus, merito numerandi sunt, & in scelerum Matriculam conscribendi. Quibus illico nuntius remittendus est,e vestro confinio longè lateq; exterminandis.

Volu-

Volupiam quod attinet, hæc inſtar Cantharidum aſpectu haud ineleganti in apricum prodit, viſui grata ſatis, guſtui ingratiſſima. Quem guſtus iſte habet, inflat, quem inflat, occidit. Quid aliud eſt voluptas, quam eſca, ſentina, peſtis, gangræna ſerpens latiſſimè, fomes libidinis, omnium deniq; flagitiorum propagatrix? Cavete vobis a Sirenica lenocinantium voluptatum titillatione, pro pane lapidem, pro melle ſtimulum, pro medicamento venenum funeſtiſſimum porrectura. 1 *Volupia.*

2. Quod ad Martem ſpectat. Quid Campi Martii faciunt in muſarũ domicilio? Quid digladiationes? Quid pugni contracti, in Palæſtra Philoſophicâ? Apage importunas iſtas linguarum vociferationes ære Dodonæo loquaciorum, necnon otioſas male feriatorum in Scholis deambulationes, ſibilos, cachinnos, clamores obſtreperos. Cavete vobis, ne ſtudio partium inter vos invicem commiſſarum, Academiæ ſitis dehoneſtamento. Utinam (Academici) lites, ſimultates, factiones omnes compeſcerentur, & extinguerentur, necnon ſingulæ ſocietates inter ſe arctiſſimo 2 *Mars.*

amicitiæ vinculo ferruminarentur: utinam rixæ, jurgia, querelæ, mussitationes, æmulationes, impetus quotquot ferocientium juvenum animosiores, ultimos hodie exhalarent spiritus & sepulturæ traderentur, nec unquam *postliminii jure* suam recuperarent antiquitatem.

3 *Bacchus.* Ultimo quod ad Bacchum pertinet; sciendum est, quod vino madidi, & Bacchi sacrificuli sunt bonis literis infensissimi. Cujus furfuris Tenebriones justissimum Deum in propatulo vindicem tandem persentiscent. Requiritur, ut sobrie totius vitæ rationem transigamus. Quid ergo sibi volunt lautissima convivia, Esculenta, & Poculenta, Bellariorum apparatus profusissimus, vini haustus crebriores —

Fœcundi calices nullos fecere disertos.

Miremini quid sibi velint hospitum nescio quot catervatim concomitantium multitudo, quorum sodalitio se magis oneratos quam honoratos tandem comperient. * *Collectiones Quadragesimales*, quandoquidem satis superq; vapulabunt, rapacem istam incidendi loculos consuetudinem in cassum indolituri

* *Quorum efficia durant per Quadragesimam & non ulterius*

indoliturî. Ad quid perditio hæc? Cui bono? Nonne indecorum eſt, ut per ſex ſeptimanarum ſpatium profuſior eſſet ſumptus quam qui ultra Biennium duorum, ſaltem unius victui ſuppeditando, abunde ſufficeret?

Eximiæ ſpei *Juvenes* ad vos recurrit παρηγορικὸν. Vos ſerio obteſtor, & ex animo obſecro, ut hiſce in poſterum ſuperfluis parcatur ſumptibus. Bene ſatis, probeq; ſatis veſtris poteſtis defungi officiis, etiamſi omnia exquiſito ſplendore, vel inſano luxu nequaquam diffluant. Veſtra (*Juvenes*) adhuc illæſa eſt exiſtimatio, hac ex parte veluti raſa tabula; Pro virili enitendum erit, ut illibata in æternum remaneat maculis quadrageſimalibus neutiquam conſpurcanda. Quantum in vobis erit, Academiæ eſtote ornamento, & Spartam exornare contendite. Nec unquam intempeſtivus eſt ad meliorem mentem receptus. Cæca præcedentium veſtigia premere, veſtrâ nequaquam intereſt. Abſit, Abſit, ut κατὰ πόδας ducum cæcutientium veſtigia inſequamini, Ἐὰν τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται.

Quid tandem reſtat, niſi ut ad unum omnes,

omnes, puras preces à puro corde prodeuntes, Throno gratiæ obtulerimus, ut quæ audivimus, in tabulis cordis insculpantur, nec unquam e memoria effluant. *Semperq; memoria retinendum est, ætatis nostræ Primitias Deo totas esse consecrandas.* Faxit Deus Opt. Max. ut in hoc musarum Domicilio, religio, pietas, cum diviniores tum humaniores literæ in perpetuum efflorescant, gentisq; togatæ Εγκυκλοπαιδεία, continuata serie in posteros sarta recta transmittatur, sordes, fæces, scelera longe exterminentur; ὅσα ἐστιν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα
Phil. 4. 8. εὔφημα, magno habeantur pretio, & praxi majore, ad nominis divini gloriam, æternamq; animarum nostrarum salutem in die novissimo, quo omnes coram Jesu Christi tribunali comparebimus.

Deo Trin-Uni Opt. Max. sit omnis honor, laus, & gloria in sæcula sæculorum.

AMEN.

CONC. III.

Jan: 13. 1652.

Pro Inchoando *Termino.*

---

1 PET. 4. 11.

Si quis loquitur, ut Oracula Dei loquatur.

PRO Rostris dicturi Areopagitæ ἀνὰ παθῶν, καὶ προοιμίου, provinciam præ manibus solebant adoriri. Haud aliter ipse in publicum hodie prodeo, tanto licet impar oneri

neri ſubeundo nihilominus ἰδίοις πάθεσιν & præfationibus Apologeticis captandæ benevolentiæ gratia nuncium remiſſurus. Veneres, facetias, & lenocinantium quotquot oratorum calamiſtra, prorſus inſalutata prætereo, nudæ ſimpliciſq; veritatis vindicias aggreſſurus. Et huic proculdubio quicquid addi poteſt, minus eſt. Non erit operæ pretium, multo minus Theologo dignum, prurientes aures Juventutis Atticæ, oratione mellitiſſimâ demulcere, nec lepores *Socraticos*, nec eloquentiam *Ciceronianam* huic *venerabili Coronæ* apponere. Etiamſi elumbis & enervis ſtili hoc opus (quale quale fuerit) nonnulli poſtulaverint: Nec omnino diffiteor me propriis, ut qui maximè, diffiſũ viribus. Utcunq; autem erit, qualemcunq; ferant de me animi ſententiam ſuſq; deque habeo, modo (quod præcipuum in votis eſt) præſtitero ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Quod ſi Inventa mea (proprii inquam cerebelli abortivam progeniem) καὶ πάρεργα καὶ ἀπροσδιόνυσα in medium protulero, ab ipſiſſimo contextu audirem

αὐτο-

ἀυτοπαράκλητος. Εἴτις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ. *Textus Diviſ.*

Qui contextus per ſe notus conſtat ex hypothetica propoſitione, ubi pro more occurrunt Antecedens & conſequens. Antecedens ita proponitur, Εἴ τις λαλεῖ. Quid ſibi velit iſte ſermo Paræneticus, liquido cõſtabit ex ſequentibus. Qui loquitur, hoc eſt, publica authoritate rite ordinatus eſt; hæc eſt *Calvini* interpretatio. Qui ad hujuſmodi munus in Eccleſia vocatur: ſic Eſtius. Hæc verbi Miniſtri munus indigitant, ſive Verbum Dei prædicando, ſive Scripturas interpretando, ſive conſequentias genuinas e Scripturis eliciendo occupetur. Hinc planè colligitur munus Miniſtri eſſe vocationem peculiarem, a cæteris diſtinctam, cuilibet ad libitum imperviam. Qui loquitur, hoc eſt, ratione officii *Paſtoris* vel *Doctoris* vices ſubit, imo potius vicariã Dei Opt. Max. poteſtatem, neceſſe eſt, ut loquatur tanquam oracula Dei. Sic conſequens patet. Siquidem oratio eſt elliptica, Ebræorum more, ubi ſubaudiendum eſt verbum cognatum - τὸ λαλείτω. Εἴ τις λαλεῖ, λαλείτω ὡς λόγια Θεοῦ. *ſiquis loquitur, ut oracula Dei loquatur*

Repute

Calvinus in locum. *Reputet ſe Miniſter in gerendis Dei negotiis verſari, & Verbum Dei eſſe, non ſuũ quod miniſtrat:* Sic rem acu tetigit *Calvinus*, Interpres a me nunquam ſine præfatione honorificentiſſimâ nominandus.

Bulling. in locum. *Peccant igitur & multis nominibus execrandi ſunt, qui titulo gloriantur Theologico, & Doctores Chriſtiani videri volunt, ſed humana interim commenta imprudentioribus obtrudunt,* (quemadmodum ad ſcopum directe collimavit *Bullingerus*) Quibus accinuit *Piſcator*, *verbum Dei*

Piſcator in locum. *tractandum eſſe cum ſumma reverentiâ & modeſtia, idq; conſideratione præeunte divinæ majeſtatis, unde illud profectum eſt, ut ipſius gloriæ conſulatur.* Peccant igitur, qui verbo Dei tractando eruditionem ſuam aut eloquentiam oſtentant, earumq; rerum laudem apud Lectores quæritant.

Quæritur quid ſibi velint τὰ λόγια; Dicendum eſt, apud *Thucydidem*, *Ariſtophanem*, reliquoſq; iſtius farinæ ſcriptores Ethnicos, τὸ λόγιον communiter uſurpari ad ſignificandum reſponſa Dei, vel Deorum quæ Latini *Oracula* appellabant; Apud ſcriptores Eccleſiaſticos τὰ λόγια, & Teſtimonia Prophetarum

Prophetarum & Apoſtolorum in unum coaleſcunt. Triplex apud *Eſtium* huius vocabuli ſenſus eluceſcit. Primus eſt vel Dei ut materiæ & objecti, hoc eſt ut ſermones ſint de Deo, ac rebus divinis, non de negotiis terrenis, ita contextum interpretatur *Venerabilis Beda*. Secũdus eſt ſenſus Dei ut Authoris, ac donantis ipſos ſermones juxta illud *Pſal.* 68. *v.* 12. *Dominus dabat ſermonẽ, ea quæ annuntiabãt exercitu magno dicebant*--Huic ſenſui *Proſper* adſtipulatur. Tertius ſenſus eſt (cui *Eſtius* ipſe totus adhæret) Dei loquentis (*i.e.*) Sermones quos Deus in verbo locutus eſt. Sic eloquia paſſim capiuntur in ſacris literis. Viva voce, ſua tradidit Deus *Eloquia:* Et Judæi fuerunt Cuſtodes *Archivorum: Quibus fuerunt concredita oracula* Dei. *Moſes & Prophetæ* in veteri Teſtamento, *Apoſtoli & Evangeliſtæ* in novo Teſtamento. fuerunt Θεόπνευσοι καὶ Θεοδίδακτοι. Qui ſummi Dei *Amanuenſes* quicquid in buccam venerat, nequaquam effutiebant, ſed *Onera, Viſiones, Prophetias, Revelationes* (quo ſtilo voluntas Dei antiquitus innotuit) prout cælitus acceperunt, populo annunciarunt. Quocirca eorum ſcripta

Act. 7. 38.
Rom. 3. 2.

τὰ ἀυτόπτα καὶ ἀξιόπτα neceſſe ut agnoſcamus, ſuſpicianus, nec non ſummo obſequio,& veneratione proſequamur. Nec prætereundum cenſeo, quod Ὡς in contextu, modum æque ac materiam reſpicit. In prædicatione divinorum *Oraculorum*,Zelus, Judicium,Reverentia,Induſtria requiruntur ab iis qui Ancilia iſta ἄνωθεν delapſa tractare ſatagunt. Huc ſpectat quod jamdudum *à Gregorio* pronuntiabatur,nempe *quod penſare debet Doctor quid loquatur, cui loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit.*

Hiſce prælibatis, ſcopus totius contextus penes duas Theſes attenditur: Quarum prima eſt,

Miniſtri eſſe munus, verbum Dei prædicare.

Secunda eſt.

Miniſtri eſſe munus, non inventa ſui cerebri, ſed Dei oracula tantummodo prædicare.

A priore *Theſi* hodie auſpicaturo (De Poſteriore ξὼ Θεῷ in poſterum habenda eſt Concio in lingua vernacula) viſum eſt mihi methodum ſuccedaneam duobus cancellis circumſcribere.

Theſ. 1. Methodus.

I.

1. Veritatis elucidandæ gratiâ, argumentis a fortiori petitis Thesin præfatam communire mihi in animo est.

2. Corollaria quædam selectiora elicienda sunt, vestræ praxi vitæq; rationi in melius instituendæ accommodanda.

Hæc erit admissâ meta terenda rotâ.

Arg. 1. Ab officio Ministrorum.

1. Quod spectat ad prius propositum, Quadruplicis Argumenti subsidium emendicandum est, nimirum ab officio, necessitate, utilitate & dignitate depromendi. Ad prioris assertionem jam me accingo. Serio vobiscum reputate, quã excelsũ & singulare sit Ministri officium. quippe quod tituli longe honorificentissimi occurrunt in sacris literis, qui peculiari jure debentur muneri sacerdotali. Quales sunt *Pastorum, Doctorum, Legatorum, Speculatorum, Ducum, Dispensatorum, Operariorum, Patrum, Nutricum, Angelorum & Stellarum.* Quorum nomina & nominum rationes, sed cum onere conjunctas, luculenter adumbrarunt. Semper autem sciendum est, quod cui honorem loci largitus Deus, eidem pariter imponit grande

onus officii ſubeundi. Cui enim plus creditur, ab eo plus exigitur. *Magna ſollicitudo magnã debet habere cautelam. Honor grandis grandiori ſollicitudine debet circũvallari.* Quæ ſunt *Ambroſii* verba fortia æque ac diſerta. Præfatos titulos fas erit ſigillatim expendere.

Ambr. de dig. Sacerd.

Eph. 4. 11. 1. *Paſtores ſunt* teſtante *Apoſtolo*: Satis conſtat Paſtoris munus eſſe, gregẽ paſcere non deglubere. Triplex paſcendi genus ſc: voce, voto, & vita illi incumbit, ejuſq; auribus debet perpetuo inſonare.

Eph. 4. 11. 2. Doctores ſunt. Neceſſe eſt, ut doceant *Doctores Academici*, ut ſeipſos præſtent Doctores re vera *Evangelicos*. Secus per Antiphraſin (quod abſit) Doctores audient, a non docendo, & videntes, a non videndo, Quemadmodum *Diogenes* famulo ſuo nomen *Manentis* indidit, a non manendo, quia ſæpius ſe in fugam conjecerat. Hunc ſolæciſmum, hanc Sophiſtarum metam quam cautiſſime effugiant Academici.

2 Cor 5. 20 3. Miniſtri *Legati* appellantur. A Legatis requiritur ut fidem liberent ſuam, & legationẽ ſibimet demandatam

ad

ad amuſſim exequantur. Qualitas hujuſce officii non recipit magis & minus. Ultra citraq; præcepta divagari, Legatus noverit ſibi penitus interdictum.

4. *Speculatores* ſunt, & requiritur, ut ſpeculantes excubias agant ſeveriores, aliter omnium ſalus periclitabitur --- Ezech. 3. 2

Invadunt urbem ſomno vinoq; ſepultam.

Diabolus, Caro, Mundus, imo quorumlibet malorum Iliades ingruunt, irrumpunt & peſſundant omnia, per *ſpeculatorum* incuriam.

5. *Duces* ſunt: Et qui ducatum præbet aliis, debet rectum callem ingredi. Qui (cum dux fuerit) devio deſciſcit tramite a rectè vivendi ratione, plurimos ſecum attrahit in perniciem. Iſa. 9. 16.

6. Sunt *Diſpenſatores*. Et quoad mentem *Apoſtoli* debent eſſe fideles. Sunt Promicondi, & familiæ adminiſtrationi præficiuntur: Et ab iis tandem rationem juſtiſſimam exiget Deus in hæc verba -- Ὀικονόμε ἀπόδ☉ τὸν λόγον τῆς ὀικονομίας σε. Vox quam tremenda quotidie inſuſurrandaeſt auribus Diſ- 1 Cor. 4. 1.

penſatorum, qui fidem violant, conſcientiæ faciunt naufragium.

7. *Operarii* ſunt, nec e communi cœtu, ſed συνεργοὶ τοῦ χριστοῦ. Ob oculos aſſidue ponamus Paulinam paræneſin, Σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ θεῷ &c.

2 Tim. 2. 12

8. *Patres* audiunt. *Joaſh* Rex Iſraelis de *Propheta* valetudinario lacrymabundus conquerebatur, *Mi pater, mi pater, Currus Iſraelis & Equites ejus*; Et viſcera paterna qui exuit, ἀνώνυμός ἐστιν, aut ſtupenda quadam μεταμορφώσει obbrutescit, immigrans in naturam *Struthionis*.

9. Miniſtri Dei *Nutricibus* aſſimilantur. *Fuimus* (inquit *Apoſtolus*) *manſueti in medio veſtrum, ut ſi Nutrix foveret liberos ſuos*. Eorum curæ demandatur ætas infantilis, tenerrima inſtar raſæ tabulæ, in quamlibet pænè figuram ſculptilis. Meminerint Paſtores, greges ſuos æquè ac Infantes in cunabulis vagientes, ſinu fovendos chariſſimo, lenitate, manſuetudine, vel utriuſq; ulnæ amplexibus excipiendos.

1 Theſſ. 2. 7

10. *Angeli* ſunt, quemadmodum patet conſulenti *verſum primum* c. 2. *Apocalypſeos*

calypseos. Angelum Ephesinæ Ecclesiæ, non Episcopum Diocesanum τῶν κλήρων κατακυριεύοντα, sed Ecclesiæ Pastorem Evangelicum sibi voluit iste contextus, obtorto quamlibet collo ad *Hierarchiam* stabiliendam hunc locum nonnulli detorqueant & interpretentur. Ita sæpius fit, ut mala glossa bonum corrumpat Textum. Et cæteris Pastoribus Angelorum titulum indidit Spiritus Sanctus. Quanto præpollent Angeli acumine, sagacitate & celeritate! Quantum protegunt sanctos, tantum administrant eorum necessitatibus. Pro virium modulo Pastores debent esse sagaces, celeres ad ferendas gregibus suppetias, ad protegendum, & ad intercedendum paratissimi, quemadmodum *Moses* ἐν ἀποθραύσει ἔστηκε (*ut loquar cum Septuaginta Interpretibus*) *ad avertendam Domini excandescentiam*. Ps. 106. 23.

11. *Stellæ* audiunt. Jam stella est densior pars sui orbis, nec locum in cassum occupat, sed lucem emittit lucemq; effundit creberrimam. Haud secus, Ministri sunt *stellæ in dextra Christi*. Non sunt Planetæ huc & illuc erratici, sed fixas retinent sedes. Nec lucem sub

modio

modio abſcondunt, ſed aliis prælucent lucemq; ſuam communicant. Bonum enim quo melius, eſt magis diffuſivum.

Jer. 15. 9. Ultimo *Os Dei* appellantur. *Hominum Miniſterium Deus adhibet, & operam quaſi vicariam, ut per os ipſorum ſuum ipſe opus agat*; Ita *Calvinus*. Et ſi tantum honorem dignetur Deus nobis impertire miſellis homuncionibus, vaſculis fictilibus, quid impedimenti inhiberet, quo minus linguæ clauſtra refracta haberemus, & veluti *Os Dei*, quicquid ipſe voluerit, populo liberius annunciaremus? Omnia hæc officia iterum atq; iterum revolvite, inde quanti æſtimandum ſit Miniſtri officium, cuivis dilucidius innoteſcet.

Calvinus in locum.

Arg. 2. a neceſſitate

Atqui tranſeo ad Secundum Argumentum, a neceſſitate petitum. *Neceſſitas* (inquit *Paulus*) *mihi incumbit. Væ mihi ſi non evangelizavero.* Duplex notatu digna eſt neceſſitas, tum *Præcepti*, tum *Medii*.

1. *Neceſſ. Præcepti.*

1. Datur neceſſitas *Præcepti*. Quamvis ad hæc prædicanda nos retardet vitæ hujus improbitas, invitat nos tamen præcepti neceſſitas. *Et væ jam mihi*

bi eſt, ſi minime prædicavero, & ſi ſuſceptum Theſaurum in terra defoſſum (i.) *in meo corde diu occuluero, & lucernam verbi divini compreſſam ſub modio retentavero*, ſic loquitur *Ambroſius*. Celeberrima eſt hortatio Apoſtoli ad Timotheum, *Prædica Sermonem illum, inſta tempeſtive & intempeſtive, argue, objurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina.* Nec dedignatur Apoſtolus bis recoctam Cramben Timothei palato apponere, *Intentus eſto* (inquit) *tibi ipſi, & doctrinæ, & permane in iſtis: id enim ſi feceris, & teipſum ſervabis, & eos qui te audierint.*

Ambroſ. de dign. Sacerd.

2 Tim. 4. 2

1 Tim. 4. 16

2. Datur neceſſitas *Medii*. Quantam ſecum affert utilitatem, quantoq; inſervit uſui Evangelii prædicatio, cujus Miniſterio uſus eſt Deus apprime neceſſario? *Apparui tibi* (inquit *Chriſtus*) *ut deſignarem te Miniſtrum.* Quo fine? Ex ſequentibus luculentius conſtabit, *Ut aperias oculos eorum, & convertas eos, a tenebris ad lucem, & a poteſtate Satanæ ad Deum.* Hinc nemo neſcit quod Evangelii prædicatio ſit medium regenerationis. *In Chriſto Ieſu* (inquit Apoſtolus) *per Evangelium ego vos genui.* Eſt medium fidem aſſequendi, *Fides o-*

2. Neceſſitas Medii.

Act. 26. 16.

V. 18.

1 Cor. 4. 15.

ritur ex auditu, *Auditus autem per verbum Dei.* Auditus eſt ſenſus diſciplinæ. Vivâ voce utitur Deus ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ tanquã ordinario inſtrumento τῆ παλιγγενεσίας. Idcirco per me licet, in fumũ evaneſcant *Enthuſiaſmi*, *Revelationes non ſcriptæ*, & quotquot aliæ extant chimæræ læſorum cerebrorum. Dum Tenebriones iſti reliquiq; iſtius colluviei novatores, ignes fatuos κατὰ πόδας inſequuntur, in lacunas decidunt & foveas. Cum Deus ſit Agens liberrimum, & Spiritus ubi velit ſpiret, nullis ipſe eſt cohibendus limitibus, nos autem cancellis verbi ſcripti circumſcribendos in mandatis tradidit. Inſuper prædicatio Evangelii eſt medium ſalutem
Rom. 1. 16. obtinendi -- *Non me pudet* (inquit Apoſtolus) *Evangelii Chriſti, Potentia ſiquidem Dei eſt ad ſalutem cuivis credenti.* Noſtra autem intereſt nequaquam ſapere ultra quod ſcriptum eſt, ſed verbo Dei indeſinenter inniti, eidem firmiter adhærere, ſive ſcripto, ſive vivâ voce juxta canonem ſcriptum pronuntiato.

Arg 3. A Dignitate Miniſterii.

Sequitur tertium Argumentum a dignitate Miniſterii Evangelici depromendum. Quantus attribuebatur honor Miniſterio Levitico, ſub veteri fædere

dere. Inde in Proverbium abiit apex iſte graſſatorum audaciſſima tentantium, *Populares tui ſimiles ſunt cum ſacerdote contendentibus.* Atqui miniſterium ſub novo fœdere, honore longe ampliori cohoneſtatur. Hinc ingentem gloriandi anſam *Paulus* ſibimetipſi arripuit, *Quod idoneus eſſet Miniſter novi pacti, non literæ, ſed ſpiritus.* Porro comparatione facta inter Legis & Evangelii Miniſterium, huic locum potiorem attribuit. Si (inquit) *Miniſterium condemnationis fuit glorioſum, multo magis Miniſterium juſtitiæ exundet gloriâ.* Quorſum itaq; prodiit hæc vertigo? Quinam eſt iſte furor pluſquam Anabaptiſticus plebis dementatæ? Quænam ſunt querelæ, quæ nunc dierum latiſſime ſerpunt, aceto perfuſæ Italico, fideles Dei Miniſtros, *Locuſtas* ex Abyſſo oriundas, rapaces *Decimatorculos*, *Lupos* voraciſſimos, *Antichriſti* membra ore ſatis immundo conviciantes? Bona verba quæſo! Non eſt, cur perſonæ Miniſtrorum occæperint eſſe deſpicatui, multo minus vocatio jure divino ſancita. Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην &c. *Galatæ* in tanto *Apoſtolum* habuerunt

Hoſ. 4. 4.

2 Cor. 3. 5.

2 Cor. 3. 9

Rom. 10. 15

runt pretio utpote effoſſos oculos ipſi ultro oblaturi. Qualem huic ordini *Ambroſius* dicavit *Panegyricum*, talem ſi aggrederer, longe ultra vires attentavero. *Honor* (inquit) *iſte, & iſta ſublimitas nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori comparaveris, & Principum Diademati, longe erit inferior comparatio &c.* Quo tempore (quantum ego poſſum conjecturâ aſſequi) non prodiit (ut nuperum) e fæce *Romuli* farrago hominum tam grave & grande munus audacter occupantium, nec luſci, blæſi, diſtorti reliquaq; Heteroclitorum genera, nec natu minores (*quibus res erat anguſta domi*) huic tremendo operi deſignabantur, ſed *Principes* quandoq; ad hoc officium obeundum ſuapte ſponte properarunt. *Melchiſedec Rex erat, & Sacerdos ſummi Dei. Noachus*, ſolus Monarcha totius orbis, Juſtitiæ Præco fuit acerrimus. *David* non tam Rex, quam Propheta fuit, & dulciſſimus *Pſaltes* Iſraelis. Gloriatus eſt *Solomon Eccleſiaſtis* titulo pluſquam regali. *Joſephus* ex Arimathæa, nobilis conſiliarius, præpotens, dives, omnia venundedit, ut Evangelii vacaret prædicationi. *Chryſoſtomus* antiquâ Senatorum

Ambros in Paſtorali.

torum proſapia oriundus in concionando fuit frequentiſſimus. De quo in ore omnium obtinuit communis Paræmia, *Præſtat, ut ſol non luceat, quam ut Chryſoſtomus non doceat.* *Ambroſius* Præfectus & Conſul Mediolanenſis Præfecturam & Conſulatum unà depoſuit, ut vacaret diligentiori Evangelii prædicationi. Quid plura? Nolim eſſe plus nimio prolixus. Memorare poſſim *Georgium Principem Anhaltinum*, *Antonium Sadeelem* & *Johannem* à *Laſco* Viros Nobiliſſimos, qui ad Evangelium Chriſti prædicandum ſe paratiſſimos præſtiterunt. Inſtar omniũ, & præ omnibus habuit Deus Pater unicum Filium, *Jeſum Chriſtum*, & ille fuit *Miniſter Circumciſionis*. Ex præmiſſis Miniſterii dignitas honorificentiſſima, meridiana luce clarior emicat, & eluceſcit.

Tranſeo ad 4^tum^ Argumentum ab utilitate eruendum. Et quid non ſuadebit Argumentum ab utili elicitum? Efficaciſſima ſuada utilitas, nulli ſecunda, ſatis ſuperq; patebit, ſi duplici comparatione inſtantiam proponamus, a ſale & luce petitâ. *Arg. 4. Ab utilitate Miniſterii.*

1. *Sali* comparantur Miniſtri: vos eſtis Math. 5. 13.

Math. 5. 13 eſtis (*inquit Chriſtus*) *ſal terræ*: ſal ſapit omnia: quod ſale caret, inſulſum audit, & inſipidum. Cibi ſale admodum conditi, putredini minus ſunt obnoxii. Pari ratione Miniſtrorum ſer-
Eph. 4. 29 monibus *granum ſalis intermiſcendum, quo magis gratiam audientibus adminiſtrent, Monitore Apoſtolo.*

Rurſus *Luci* comparantur miniſtri. Miniſtrorum ſiquidem munus eſt & ardere & ſplendere, ad inſtar *Johannis*
Joh. 5. 35. *Baptiſtæ*, de quo Teſtimonium - Ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων. Lux illuminat, reficit, ſolatur, penetrat, nebulas diſſipat, Hæc vulgaria ſunt. iſtiuſmodi metaphoris ſupervacaneum erit diutius immorari, ne tædium (quod plurimum deprecor) meis obrepat Auditoribus. Si quis plura de officio & dignitate miniſtri velit ſciſcitari & certior fieri (ut alios taceam) conſulat *Gregorium Magnum* de curâ Paſtorali, *Nicolaum Hemingium* de Paſtore, *Gulielmum Perkinſium* De concionatoris officio & dignitate, *Oliverum Bowleſium* de Paſtore Evangelico, & *Richardum Bernardum* de Paſtore fideli, quos *Quinqueviros* ſerio cõſulendos velim, qui hac

ex

ex parte operas ediderunt indole feliciori elucubratas Miniſtrorum uſui quam maxime attemperatas.

Obiter præterire nec licet, nec decet, nec expedit, quam ſingulari inſerviunt uſui *Scholæ Prophetarum*, rerũ literariarum Nundinæ, artium officinæ, quæ ad hunc uſq; diem (Deo gratias) antiquum retinent nomen *Academiarum*. De monte *Moreh*, de *Collegio Hieroſolymitano*, de *Naioth*, *Bethel*, *Iericho* cæteriſq; locis publicis ad erudiendos Prophetarum filios ex ſacris literis, proditum eſt memoriæ. Quemadmodum *Athenæ* fuerunt Græciæ compendium, haud ſecus *Collegia* Reipublicæ. Libanus eſt *Academia*, unde ſilva cædua petenda eſt ad ædificandam Chriſti Eccleſiam; ſalina eſt, unde ſal effodiendus; Pharetra Domini unde ſagittæ depromendæ ſunt. qui ergo *Prophetarum officinas* peſſundatas voluerunt, & literatorum Patrimonia venundata, nec ſibi nec poſteris proſpiciunt, Abyſſo craſſiſſimæ ignorantiæ aditum patefacientes apertiſſimum. Μὴ γένοιτο. Utinam (ſi Deo ita viſum fuerit) ſuper filios Prophetarum ſol nunquam in occaſum vergat, nunquam

V. Vindicias Academiarum Oxonii nuper excuſas.

quam exiccentur hi fontes, veneno hæresium nunquam inficiantur, sed puriores inde emanent latices *Civitatem Dei* refocillaturi. Vobis omnia fausta apprecor, & fælicia; & ex animo deprecor venalia Academiæ Privilegia, nec non venales Academicorũ conscientias.

2. Quod supereſt (quemadmodum secundo loco proposui) sequentibus expediendum est Corollariis.

1. Sciendum est vocationem Ministri esse per se distinctam, non cujuslibet indiscriminatim ad libitum occupantis. Vulgo dicitur, *Quæ nullius sunt, primi sunt occupantis*, quod vulgare dictũ ad hoc munus nequaquã potest intorqueri. Evolvite sacras Scripturas, & ad Legem & testimonia operæ pretium ~~pretium~~ erit omnia explorare. *Neque sibi ipse quisquam assumit hunc honorem, sed qui vocatur a Deo sicut & Aaron.* Heb. 5. 4. Πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; *Interpres unus ex mille:* 2 Cor. 2. 16 Consulendus est *Apostolus ad Ephesios* καὶ αὐτὸς ἔδωκε. Quos? τοὺς μὲν Ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστὰς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους. Job. 33. 23 Eph. 4. 11, 12. Aliquos non omnes innuit Spiritus Sanctus Ecclesiæ Christi præficiendos. Aliquis non valet (omnis)

Hĩ

Hî debent esse διδακτικοὶ, uberiore rerum divinarum scientiâ imbuti & εὐδυμία ad docendum præditi. Rursus alibi audiatur *Apostolus*, καὶ οὓς μὲν ἔθετο. Quo vocabulo fixa Ecclesiasticorum stativa subindicantur. πρῶτον Ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους. Cessavit jamdudum & exolevit Prophetarum munus extraordinarium. Pastores & Doctores adhuc in Ecclesiâ retinentur functioni Ministeriali destinati quibus titulis quã plurimi sagaces admodũ Scripturæ Interpretes utũtur, ut Terminis Synonymis. Impræsentiarum relinquo rem in medio, cum ex utraq; parte rationes proponantur probabiles. Verum enimvero non unusquisq;, non quicunq; vult, instar *Ieroboami Sacrificulorũ* grandi & graviMinistri officio designandus est. *Ex quovis ligno non fit Mercurius.* μὴ πάντες ἑρμηνεύουσι; Totum corpus non constat ex oculo. *Si totum corpus esset oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Quocirca qui (quemadmodum *Novatus* seipsum consecravit in Episcopum) vi & armis usurpant arroganq; sibi functionem ecclesiasticam per φιλαυτίαν, & 1Cor.12.28

fastum

fastum, omnino immemores sunt exemplorum *Uzzæ & Uzziah* qui læsi sacerdotii pænas dederunt gravissimas. *Quos ego. sed motos præstat componere fluctus.*

Qui per aliorum adulationes currunt sine missione, acriter vapulant a viro pientissimo juxta ac doctissimo Mro *Burroughio* (quem honoris causa nomino, de me optimè meritum) in Libro pernecessario, cui titulus est *Irenicum.* De Consimilibus Novatoribus jam dudum conquestus est *Nazianzenus*, Χθὲς ἱερόσυλοι, σήμερον ἱερεῖς. Pergit ille in hæc verba, *Nec Medici nec Pictoris nomen obtinet, quisquam, nisi prius morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, aut varias formas penicillo expresserit: sed omnes in sacerdotium convolant &c.* quos summæ ignorantiæ postulat *Hieronymus, Docent* (inquit) *scripturas, quas non intelligunt, prius imperitorum Magistri quam doctorum Discipuli. Canales* (inquit *Bernardus*) *multos habemus, Conchas vero perpaucas.* Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluenta Cælestia emanarunt, ut antea effundere quã infundi velint, loqui quam audire paratiores, & promti docere quod non didicerunt.

Nazian. in Orat. in laudem Basilii.

dicerunt. *Non fortunat Deus eorum labores qui non ſunt vocati, & quanquam ſalutaria quædam afferunt, tamen non ædificant.* *Luth.*

Patres & Fratres in Chriſto dilectiſſimi, neceſſe eſt ut precum & lacrymarū uberiorem effundamus ſcaturiginem, ut hoſce *motus excentricos*, *haſce* πρέξεις *præproperas & præpoſteras* lugeamus, & ingemiſcamus. Neceſſe eſt ut vindicias Miniſterii Evangelici alacrius ſuſcipiamus; abſit, abſit, ut iſtud per noſtram incuriam ſcribendi, precandi, prædicandi, vivendi, conculcatum iri pateremur. Plura mihi attexere ſupervacaneum eſſet, currentibus (uti ſpero) calcaria & ſtimulos admoventi. Nuperrime prodierunt Libri & luce donati, & limâ, mole licet exigua, non ita induſtria. Quorum unus ſuſcipit *Vindicias Miniſterii Evangelici*: Alter agit *de licito Concionatore*; Tertius *de cuſtodia Pulpiti*; *qui Cordati Triumviri* accenſam nobis facem ſuppeditarunt, malèdicorum livore inextinguibilem. Ad memoriam revocanda ſunt *Johanis Leidenſis Anabaptiſtarum Primipili*, ejuſq; Prophetarum facinora flagitioſiſſima. huc & illuc *Collins. Ferriby. Hall.*

circumcursitantium, qui nullum non movebant lapidem, ut omnia in antiquum chaos redigerent. Refricate memoriam, præterita respiciendo, ut futura prospiciatis, & præmoniti præmuniamini. Amor vestrum hanc ex abundanti cautelam suggessit vobis commendandam. Ne accipiatis sinistrâ, quæ ego dextrâ porrigo, vos animitus oratos velim.

2 *Honos debetur Ministris.*

2. Hinc abunde liquet quantus honor fidelibus Dei Ministris sit persolvendus. Locus occurrit apud Apostolum celeberrimus, Οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν. Μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Unde haud infimæ notæ Interpretes distinctionem colligunt inter Presbyteros regētes, Ἀνπλήψεις alibi appellatos, & Presbyteros *Concionantes*; cui distinctioni meum calculum haud illibenter adjicio. De honore Ministris debito nuspiam ambigitur. Ut taceam *Aaronem*, qui erat typus Christi præcipuus. quanti autē æstimabātur *Prophetæ & Apostoli* apud pios *Reges*, palā est cuilibet sacram paginā consulenti. Quanto honore, quanta existimatione *Petrum*

1 Tim. 5. 17.

 prosecutus

proſecutus eſt *Cornelius*? Quanto cultu, quantaq; reverentia *Miniſtros Dei* amplexus eſt *Conſtantinus Imperator*? Quos in eadem menſa diſcumbentes familiari excepit hoſpitio, inq; ſodalitium pluſquam vulgare ſibimet cooptavit, eorum preces ex ſua parte Deo offerendas, haud parum efflagitans.

Utcumq; hodie καὶ γὰρ tantillum voculæ interpono pro *Baalis, Bacchi & Priapi* Sacrificulis, qui de ponte aut dejecti, aut dejiciendi ſunt, qui ſupplicium *Oſtraciſmo* gravius promeruerunt. Illi haud ita pridem nova cudebant vocabula Idololatriam redolentia Pontificiam. *Miniſtrorum* vice, geſtiebant *Sacerdotes* apppellari. Vice menſæ *Dominicæ*, *Altaris* nomen perplacuit. *Sacramenti* vice, *Sacrificii* nomen apud hos obtinuit. Cujus furfuris *Papicolæ* Miniſtrorum titulis indigniſſimi (per me licet) excidant ab officio ſimul ac beneficio: quoniam ſaporem amiſerunt ſuum, quid ni honorem ex conſequenti? Quorum Noſtrates aliquot malæ fidei homunciones in partes tranſmarinas profugos animadvertimus. Te-

nebriones re vera, ſed nigro carbone notandi ſunt qui ad Adverſariorum caſtra ſe propius receperunt, & inibi Meretricem Babylonicam provoluti in genua deoſculati ſunt. Agnoſcite cen-
Mat. 5.13. ſuram Chriſti; Ἐὰν ὁ τὸ ἅλας μωρανθῇ ἐν τίνι ἁλισθήσεται; εἰς οὐδὲν ἰσχύει εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Memorare licet *Ecebolium*, in hæc verba μαστιγοφόρον prorumpentem *Calcate me inſipidum ſalem.* Sed quod ad me ſpectat, ego cauſâ tantũ ago fideliũ Verbi Dei *Diſpenſatorũ*, qui operarii non pudendi ſunt, quos juvat uſq; & uſq; in vineâ Dni deſudare. Hos honorat Deus
Mat. 28.20 ipſe, & a ſuis ſervis ſummo honore vult ſuſpici. Quibus ſpecialem ſui Chriſtus præſentiam pollicetur. Vaſa ſunt aurea aureũ effundentia oleum. Quo jure, qua potius injuria, hodie quam plurimi conculcant Miniſterium? Sulco huic licet conculcato, meſſis ineſt uberrima. Quorum nunc dierũ nonnulli filios vel natu juniores Miniſterio deſignare erubeſcunt, & reſiliunt, quoniam homines aut nullius nominis, aut nullo digni nomine hunc ſacrum ordinem jure divino

vino ſanctum dente canino lacerant. Bono eſtote animo (*Dilecti fratres*) appropinquat Tempus quando erit nominum glorioſa Reſurrectio. Quo tempore Miniſtrorum nomina malevolorum rabie calumniis, & dicteriis, offuſcata, e morte ad vitam glorioſe erunt reſurrectura.

3. Summam Indeſinenter adhibeant diligentiam Dei Miniſtri, vigiliaſq; impendant elucubratiſſimas ἐγκαίνως, ἀκαίρως concionando, admonendo, excubias agendo animarum ipſis concreditarum. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Quid *fucis* opus eſt in Chriſti alveario. Quid *Ciphris* in Chriſti Arithmetica? Quid *Mutis* in Chriſti Alphabeto? Quid deniq; ſomnolentis opus eſt in vinea Domini? Penſum præ manibus unuſquiſq; tenetur aggredi totis viribus --- Ὁ διδάσκων ἐν τῇ διδασκαλίᾳ Εἴτε ὁ παρακαλῶν ἐν τῇ παρακλήσει, ὁ μεταδιδὺς ἐν τῇ ἁπλότητι, ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ. Uniuſcujuſq; humeris Onus imponitur pro officii ratione fideliter perſerendum. Prædixit Propheta cuſtodes Eccleſiæ præficiendos *Qui tota die, & tota nocte jugiter non*

3 *Diligentia requiritur in Miniſtris.*

Rom. 12. 7, 8.

Iſa. 62. 6.

tacerent. *Quotidie in templo vobiſcum fui (inquit Chriſtus) Apoſtoli quotidie in Templo & domatim evangelizabãt Chriſtũ. Quotidie diſſerebat Paulus in ſchola Tyrãni: Exponebat regnũ Dei, a mane uſq; ad veſperã.* Quocirca ob oculos ponite præceptum *Solomonis --- Mane ſere ſemen tuum, & veſperi ne remittito manum tuam, nam ignoras quidnam rectum ſit, hoc an illud.* Quoties occurrunt in *Chryſoſtomi* Homiliis χθὲς ϗ σήμερον. *Theodorus Beza* memorat in *Calvino*, ſui ſæculi Phœnice, quod digniſſimum, ipſum nimirum ducentas octoginta ſex *conciones* quotannis habuiſſe ad populum, *Lectiones* vero centum & octoginta ſex, præter innumeras quas cõſcripſit *Epiſtolas* de apicibus Theologicis.

Ecclеſ. 11. 6

Beza in vit. Calv.

Patres, & Fratres, ad vos recurrit περιεργικὸν. Veternum, ſomnolentiam, incuriam diſcutite. Seniores, nequaquam audiant ſegniores, Caveant ſpeciatim ſibimetipſis, ne manus ab aratro retrahant, verbo Dei relicto ταῖς τραπέζαις διακονῦντες. Abſit prorſus, in æternum abſit, ut dotes veſtras neglectas jacere patiamini, ſitu, ſqualore obſitas, & rubigine. Cum prior dies ſit poſterioris diſcipulus, illico operi præ manibus pro virili invigilate in vinea

vinea Domini laborioſiſſimi. Caveant etiam Νεόφυτοι, qui nondum Theologiæ Principia imbiberunt ne χερσὶν (ut aiunt) ἀνίπτοις ſacra evolvant myſteria, ne ob præmaturum judicium, præjudicium & convitium veritati inde aboriantur. *Doctori* Medicinæ *juniori* & imperito applicuit *Lutherus* Germanicum Proverbium, ei nempe opus eſſe novo *Cæmeterio*. Sic *Theologo* juniori & imperito opus eſt novo Inferno, quoniam plures animas per ignorantiam eſt interfecturus. Iterum atq; iterum exorandi ſunt *ſeniores*, ne talentum in ſudario abſcondant, ne ſub modio conſervent candelabrum, ne conſuant ſibimetipſis Apologias vere ficulneas: Quales cõmuniter recenſentur, ſi Proſopopœiæ locus relinquatur: -- Domeſticis nimis diſtrahor negotiis: *Proſopopœia* Non ſuppetit mihi idoneum tempus concionem poliendi: ego plurimũ avocor extraneorũ amicorũ prçſentia. Inſuper Muſæ molliter arridẽtes, Maſcula Philoſophia & humanioris literaturæ Ἐγκυκλοπαιδεία Remoram mihi injiciunt, quo minus me Theologicis ſtudiis addixero. Hiſce quicunq; utitur excuſandi

ſandi Methodis tandem pro comperto noverit ſe δὶς διὰ πασῶν aberraſſe, nu ditate prætextuum adeò inanium, conſpectui hominum & Angelorum in die judicii patefaciendâ. Itaq; per *viſcera Jeſu Chriſti* vos obteſtor *Fratres, Theologi, Præfecti* vos ſerio, obſecro, uti ntra privatos parietes (quemadmodum nonnulli hodie vobis ſunt exemplo) per vos ipſos & per alios, frequentiores habeantur conciones, eorumq; augeatur numerus qui in Chriſti cognitione Juniores fideliter imbuant. Ulteriores moras longe ſeponite, & majorem navate operam. Nolite vobiſmetipſis in poſterum deeſſe. Et faxit Deus ut cæpta veſtra ſuccedant fæliciter, cæleſtis rore Benedictionis effuſius irrigata.

4 *Miniſtri debent Scripturas legere.* 1 Tim. 4. 13. Ioh. 5. 39.

4. Miniſtri ſint multi & ſerii in aſſidua ſcripturarum Lectione. Qua cognitione inſtructi ad ſalutem ſapient ſempiternam: *Intentus eſto lectioni (inquit Apoſtolus)* Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς (inquit Servator). Proh dolor! Cruda Adoleſcentulorum Ingenia ſalutant acerata ſcholaſticorum & putidiſſimas Jeſuitarum lacunas ubi (ut Ixion nubem

bē pro Junone)pro tritico lòliū & zizania amplectentur. Alii Novitatis reas opiniones authorum fanaticorum contra Scripturas, Animę Immortalitatem, Chriſti & Spiritus Sancti Deitatem ſcriptitantium avidiſſimis perluſtrant oculis; quo pacto veluti cymba prono amne, in omnes facile abripiuntur errores, quorum vorticibus tandem abſorpti in Atheiſmum ruunt præcipites. Vos itaq; velim admonitos ut ſummo pretio, & veneratione potiſſimâ Βιβλὸν Βιβλῶν proſequamini. In ore Theologorum commune poſitum fuit Proverbium — *Quod bonus textuarius eſt bonus Theologus.* Cui accinuit cujuſdam ſenis conſilium ad *Muſculum*: *Vis ne inquit eſſe bonus Theologus? cura ut ſis bonus Biblicus.* *V. Vitam Muſculi.* Indulgete loquendi formulæ, totidem verbis ab Authore prodeunti. Utinam in hiſce fodinis magis magiſq; indies deſudaremus, hujuſq; Heliconis liquores frequentius epotaremus, utpote ſacrarum literarum Heluones evaſuri. De Judæis memorat *Buxtorfius* quod toties ſcripturas conſuluerunt, donec de quolibet ἰῶτα rationem juſtiſſimam reddere potuerunt in ſacrarum

carum literarum ſcrutinio adeo verſatiſſimi. Eſtote igitur in ſcripturarum lectione aſſidui:

Hic juvat uſq; morari.

5 *Miniſtri debent ſe meditationi addicere.*

5. Miniſtri ſe frequentiori addicant meditationi. *Oratio, Meditatio, & Tentatio* conſtituunt Theologum, *Luthero* jamdudum obſervante: Meditationem in præceptis tradit ætate provectior *Paulus Timotheo* juniori -- *Hæc meditare. Interdiu, & noctu beatus vir in lege Dei meditatur.* Dictum erat uſitatiſſimum M^ri *Perkinſii, Miniſter verbi es: hoc age.* De opere vocationis, & de utraq; Provincia tam Præfectorum quam Miniſtrorum, frequentior ſit noſtra Meditatio. In Montem cum Moſe aſcendamus. In agro cum Iſaaco obambulemus meditandi gratiâ. Quamcunq; oportet anſam nobis oblatam arripere nobiſcum inter nos ſeorſim diſceptandi, necnon in penitiores noſtrorum pectorum anfractus introſpiciendi.

1 Tim. 4. 15.

Pſal. 1. 2.

6. *Miniſtri debent multum precari:* 1 Sam: 12. 25.

6. Miniſtri ſint multi in precationibus. Abſit (inquit *Samuel*) *ut peccem Jehovæ, ut deſinam pro vobis ſupplicare.* In oratione eſt vis energetica. Πολὺ ἰσχύει δέησις

δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. Nunquam vacandum est ab hoc officio --- Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. Liber Scripturarum est sigillo communitus, & grandia cõplectitur mysteria. Januas scripturarum obseratas custodit Deus, donec cordate supplex oraveris, ut spiritum suum tibi impertire dignaretur, & sensum genuinum recludere. *Retege oculos meos* (inquit *Psalmista*) *ut intueat mirabilia ex lege tuâ. Invoca me & respondebo tibi, & indicabo tibi magna, quæ non agnoscis.* Pro semetipso primus obtulit victimam summus sacerdos, postea pro Populo. Pro temetipso imprimis Throno gratiæ supplices attolle manus, deinde pro Auditoribus, utrorumq; salutis studiosissimus *Orationi Lectio, Lectioni succedat Oratio, ita Hieronymus. Bene orasse est bene studuisse, ita Bernardus.* Non est quod *Ananias* ulteriorem de *Saulo* suspicionem foveat, cum hoc Testimonium a spiritu Sancto reportaverit -- *Ecce orat.* Haud mediocriter gavisus fui, quod de plurimis inter vos dici potuit, (utinam & de vobis ad unum omnibus idem dici potuerit) ecce Præfectus erat, ecce Tutor

Jac. 5. 16.
1 Thes. 17.
Psal. 119. 18.
Ier. 33. 3.
Act. 9. 11.

orat

orat, ecce Concionator orat, ecce Paterfamilias orat, ecce Seniores, ecce Juniores multum orant. Per tres horas ὡς ὅτι τὸ πολὺ quotidie orare solebat *Lutherus*. Quem cum audivisset tanto ardore exuperantem *Philippus Melanchthō*, se pro tempore usq; ad tertium cælum evectum fuisse, sibi persuasum habuit. *Bradfordus* multus erat in secretis precationibus, & flexis genibus ad studia semetipsum solebat applicare. Quid impedit (fratres) quo minus titulis dissociantibus nuntio remisso, in unum coaleſcamus, & alii alios ad pietatem accendamus. Ne dedignentur Fide vitâq; integerrimi frequentiori inter se invicem potiri societate. Missas faciamus ulteriores Moras, ulteriores Apologias, ulterius partium studium, ulterius præjudicium, & in posterum. precando, jejunando, colloquendo, simus frequentiores. De *Jacobo* fratre Domini tradit *Eusebius Pamphilus*, genua ejus quotidianâ precandi assiduitate, ad formam ungulæ Camelinæ compacta fuisse. Præ omnibus esset Minister Vir multarum precationum. Omnes docere debet, & pro

pro omnibus orare. Quod si Ministri plures pro Auditoribus orationes effuderint Thronum gratiæ frequentius interpellando, eos successu fæliciori (ξὺν Θεῷ) potituros quam verisimillimum est.

7. Ministri debent esse vitæ integerrimæ, τύποι τοῦ ποιμνίου. Vita illibata, vel a levissimi scandali suspicione immunis est Theologo dignissima. *Purgate vos* (inquit Propheta) *portantes vasa Jehovæ.* Si velint *Concionatores* verba quæ protulerint, in hominum corda impervia penetrare, ipsi viderint, ut verba vertant in opera. Non sufficit loqui magna, sed vivere, nec obtentui habere Religionem, sed eam ad praxin redigere quotidianam.

7. Ministri debent esse vitæ integerrimæ. Isai. 52. 11.

Efficacius est vitæ quam linguæ Testimonium (ut inquit Bernardus) Perdit authoritatē dicentis, cujus sermo opere destituitur, ita Hieronymus. Necesse est ut munda esse studeat ista manus, quæ aliorum sordes diluere satagit ita Gregorius in libro vere aureo, de cura Pastorali. Quid plura? Agendo æque ac loquendo, tā per doctrinam orthodoxam quam per vitam inculpatam, summa est navanda opera ut Evangelium

lium exornemus animaſq; Chriſto lucrifaciamus. In *Lutheri* temporibus, duo fuerunt Theologorum genera, quorum unus Theologus crucis, alter Theologus gloriæ appellabatur. Theologus crucis erat in utrumq; paratus, & vitâ & doctrina Evangelii promptiſſimus Propagator. Theologus gloriæ, popularis auirę mancipium proprio honori, qnæſtui, & quieti velificatus eſt, veritate, ſanctimoniâ, ſinceritate poſthabitis & repudiatis. A Theologo gloriæ (*inquit Lutherus*) libera Eccleſiam ô Domine! quis cuſtodiet cuſtodes? Medice cura teipſum. quid fœdius impio Concionatore! Collapſus per Apoſtaſiam Miniſter, aut raro aut nunquam redit ad pœnitentiam. Poſteaquam ſal infatuatus eſt ſterquilinio eſt exponendus. quam neceſſarium eſt ut non ſolum Chriſtum prædicemus, ſed Chriſto vivamus, non ore tenus verbum Chriſti annunciando, ſed per totius vitæ rationem Chriſti doctrinam cohoneſtando. Quam bene conveniunt, & in una ſede morantur, pietas in ore, corde & opere.

Sic

Sic ſic juvat ire ſub umbras.

8. A Corde ad Cor loquantur Miniſtri: Στόμα πρὸς στόμα, καὶ πρὸς ὦτα, non hilum proficit: ἀλλὰ καρδία πρὸς καρδίαν, animas ad Chriſtum attrahit. Conſolerur Concionator Auditores iſto conſolationis genere quo ipſum Deus eſt conſolatus. Cui bono quæſo inſerviunt Theologi mere Theoretici, qui ſatis ſuperq; callent Terminos *e ſchola Loyoliticâ* prodeuntes, interea ſcientię practicæ ſunt quam plurimum imperiti. Suadam habent in ore ſed ne minimum gratiæ in fibris. Myſteria *Regenerationis* eorum captum excedunt, λῆροι καὶ ἀνίσματα apud hos æſtimantur. Humaniorum ſcientiarum corticem norunt, iſtas ſiliquas toti devorarunt, interim a vita Dei & Jeſu Chriſti cognitione alieniſſimi. Quamobrem pro virium modulo a ſingulis enitendum erit, ut experientiâ docti alios doceamus, & divinæ conſolationis participes alios conſolemur, & quæ a Chriſto ipſi didicimus, fratribus addiſcenda communicemus. Hoc pacto nobis, aliiſq; plus profuturos (annuente Deo) facilius pollicebimur.

8 Miniſtri *debent loqui a corde ad cor.*

9

9. Zelus requiritur in Ministris.

9. (Ut illico ad coronidem perveniam, veſtramq; laſſatam ſatis liberem patientiam) in Dei Miniſtris Zelus fervidus potiſſimum requiritur. Qualis in Paulo affectus emicuit ſingularis, qui per ſaxa per ignes, pluſquam difficilima perrupit repagula Evangelii diſſeminandi gratiâ; nec vinciri tantum, ſed mori pro nomine Jeſu ſe paratum præſtitit. *Lutherus* (de quo tritum fuit ſermone Adagium, *Quod unus homo ſolus totius orbis papalis impetũ ſuſtinuit*) ad miraculum uſq; zelo efferveſcebat. *Si (inquit) quot tegulæ, tot eſſent Diaboli, ne latum unguem a propoſito recederem, ſed Wormatiam derepente adirem Euangelii prædicandi gratiâ.* Jam ſiquis ardore vehementiore exæſtuet & accendatur, & fit quaſi *divino percitus æſtro*, apud plurimos vel hodie audit læſi cerebri reus. quod ipſum *Latimerus* Martyr pientiſſ. de ſuo tẽpore conquerebatur, in noſtrũ appoſite quadrat. *Deeſt ignis, Deeſt ignis.* Plus lucis præſens protulit ſæculũ, utinã & non minus fervoris. Plus ſcientię, vereor ne minus cõſcientiæ. Plus diſputationũ, minus plenumq; ſanctimoniæ. Vereor enimvero

ne

ne quam plurimi ſapientiam & Moderationem prætextui habentes, eſſent ſapientiores quàm ut ad Cælum pervenirent. *Sinite (inquit Bernardus) ſinite ſapientes hujuſce ſæculi tumentes, alta ſapientes & terram lingentes ſapienter deſcendere in Infernum.*

Patres & fratres ubiq; deeſt zelus, nec tam deeſt quam deſideratur, inter concionandum. Neceſſitas exigit ut inter quarumlibet ſocietatum regimina, zelus augeatur fervidior. Athei; Vappæ, fæces, Bibuli, a ſtudiis quotquot feriati, Homunciones profligatiſſimi, aut ad meliorem reducantur frugem, aut e noſtro prorſus exterminentur confinio; Jubet Deus ζήλωσον ἐν, καὶ μετανόησον. Turbines, incompoſita rerum facies, oculi circumſpicientiũ quãplurimi, Harpyarum ſanguiſugarum numeroſa propago, nec non propriæ cujuſq; conſcientiæ Teſtimonium ad zelum accendunt irritant, & quaſi calcar extimulant; ultra Sauromatas longiſſime ~~usq;~~ amoveatur iſte tepor Laodicenſis Deo ingratiſſimus, accreſcatq; animorum fervor vehementiſſimus. Vile ducatur Dei gloriæ proſpicere.

Dei ob oculos ponamus, regnumq; Christi totis viribus promoveamus, non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi indesinenter quæritantes. Ita meticulosi non erimus, etiamsi totis turbetur agris,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidos ferient ruinæ.

Ultimo, sed potissimùm, meminerit quilibet Evangelii Minister, non inventa sui cerebri, sed Dei Oracula prædicari oportere. Hæresiarchæ verbo Dei faciunt convitium, propria obtrudentes dogmata, & læsorum cerebrorum somnia, sacris literis e Diametro opposita. Quibuscum haud mitius agendum est, quia jubet Apostolus -- Ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως. Palpandi non sunt, nec sinu fovendi charissimo seductores: Quos in angulis & diverticulis securos & intactos delitescere, haudquaquam perpeti debeamus: multo minus istius farinæ Homunciones tolerandi sunt vel apud nos peramicè excipiendi, huc & illuc circumcursitantes, Zizania disseminantes, venenum imperitis propinantes, Hæresium venalium Præcones stentorei: lenitas,

Tit. 2. 13.

tas, moderatio, taciturnitas non ſunt exercendæ erga inſulſiſſimos Hæreticos, divinæ revera vindictæ objecta, humanæ nequaquam indulgentiæ. Studium partium, Ἀνθρωπολατρεία, μικροψυχία, Aſtutiæ pluſquam vulpinæ, Gallionis incuria, voluntas in æquilibrio pendula in æternum faceſſant, nec inter Chriſtianos nominentur. Luant blaſphemi pœnas lege morali ſancitas, nec abrogata nec abroganda. Fiat juſtitia, ruat cœlum.

Et ita dilapſus ſum in ſecundam Theſin proximè enucleandam, cui fuſior debetur Concio, & Vindex ſagacior, ſed allubet mihi eam hodie inſalutatam præterire, in idoneum tempus differendam, ne ulterior Auditoribus meis creetur moleſtia, tempore jam jam præterlapſo.

Quid tandem ſupereſt, niſi ut Throno gratiæ preces ſupplices quam humillime offeramus, ut Deo Opt. Max. placeret pro immenſâ ſuâ miſericordiâ numerum augere Miniſtrorum dotibus ampliſſimis inſtructorum, divini ſpiritus fructibus undiquaq; abundantium, necnon operarios in meſſem ſuam quo-

tidie emittere, eoſq; in opere ſuo fideles reddere, & retinere.

Faxit Deus, ut quæ hodie arrectis auribus accepimus, ad interiora pectorum penetralia deſcendant, inibiq; radices agant altiores nunquam evellendas, ad Dei gloriam & æternam animarum noſtrarum ſalutem, in die illo novissimo, in quo apparebit perſonaliter Jeſus Chriſtus Vivorum & Mortuorum Judex, unicus ſuorum ſervator; qui a malo venturo nos liberavit.

Cui cum Patre, & Spiritu Sancto, ſit plenitudo Gratiarum, obſequii, potentiæ, & gloriæ ab æterno in æternum.

AMEN.

De Jure Divino
DIEI DOMINICI

Theſis diſcuſſa in Noviſſimorum Comitiorum veſperiis

Julii 9. 1653.

---- Dies Dominicus *eſt Jure Divino Sanctiſicandus.*

AD quam theſin enucleatiùs expendendam, ſcitu non indigna prælibanda ſunt, terminis Theſeos accenſam facem præfatura.

1. Quæritur primò quid ſibi velit dies *Dominicus*, non tantum relative τῆς κυριακῆς, ſed denominative ἡ ἡμέρα κυριακὴ

Quid ſit dies Dominicus.

κυριακὴ *Apocalypseos* 1mo & v. 10. nempe quod non ſolum eo die Dominus reſurrexerit, ſed etiam quod ei rei, imo univerſim Domino, ſacratus eſſet, nequaquam innixus pactis & inſtitutionibus Eccleſiaſticis, ſed a Domino & in honorem Domini inſtitutus, qui dicitur κύριος τοῦ σαββάτου, *Lucæ* 6to & v. 5to. Nec opuſerat totidem terminis, novi mandati promulgatione, cum vetus integrum remanſerit & illæſum, æq; proſpiciens Sabbatum Chriſtianum, ac reſpiciens Sabbatum Judaicum, utriuſq; pro temporis diſtincta ratione præcipiens obſervantiam. Expirante verò Sabbato Judaico, in hæredem adoptatur dies Dominica.

2. *Quid ſit jus divinum*

Quæritur 2do, quo ſenſu jus divinum in Theſi præfata accipiendum ſit? Diſtinguendum eſt, quod aliquid poteſt eſſe jure divino duplicíter, Immediate vel mediate. Immediatè illud dicitur, quod per Deũ ipſum in veteri Teſtamento, vel per Chriſtum in novo Teſtamento tradebatur, quemadmodũ Decalogus ad Deum, & cæna Dominica ad Chriſtum, veluti Authores Immediatos referuntur. Mediatè verò illud dicitur

dicitur quod per homines tradebatur qui fuerunt θεόπνευστοι καὶ θεοδίδακτοι, quales fuerunt Prophetæ & Apoſtoli, quorum Inſtitutiones divinâ ſuffultæ authoritate, conſcientias ad obſequium obligabant. Rurſus Inſtitutionum aliæ ſunt verbales, totidem verbis in præceptis traditæ, aliæ reales praxi & exemplo confirmatæ, & pro temporis ratione variabiles, pro *hic* & *nunc* impoſitæ, verbi gratiâ Abſtinentia a ſanguine & ſuffocato pro tempore ab Apoſtolis impoſita fuit *Act.* 15. *v.* 29. Ne Judæis ſcandalum aboriretur. Vel ſunt Inſtitutiones immutabiles & æternæ, inter quas præcipue enumeranda eſt dies Dominica, aut a Chriſto Immediate aut mediate ab Apoſtolis quoad mentem Chriſti inſtituta & praxi ſancita Apoſtolica, immutabilis & in æternum duratura. Quocirca jus divinum, non eccleſiaſticum tantummodo, diei Dominicæ attribuimus. Obſervavit hunc diem Eccleſia, non inſtituit, ſiquidem diem adeo ſolennem Deo conſecrare, & propria ſancire authoritate non eſt penes Eccleſiam, Synodum, Concilium, magiſtratum Politicum

liticum. Quippe quod ejus est deponere, cujus est instituere, & ejus est abrogare, cujus est præcipere; Quæ singula solius Dei Privilegia incommunicabilia sunt; humanæ non concredita prudentiæ, nec Regiminis Ecclesiastici officio Vicario.

Quid sit sanctificatio Diei Dominicæ.

2 Quæritur Tertio: Quomodo sanctificanda sit dies Dominica? Seriò animadvertendum est, cum hominum memoriæ sint maximè labiles, ad refricandam memoriam in *Quarto Præcepto* cautum esse diligentiùs, uti consulenti liquet *Exodi* c. 20. v. 8. *Recordare diei Sabbathi, ut sanctifices illum &c.* Qui contextu tria necessariò innuit, nimirum præparationem, separationem, & sanctificationem.

1 *Præparatio.*

1. Quod spectat ad præparationem, memoriæ proditum est, Judæos habuisse προσάββατον καὶ παρασάββατον, Sabbatum & Sabbatulum in ordine ad diligentiorem Sabbati celebrationem; necesse est ut Christiani seriò imò maximè seriò sui meminerint Sabbati, eiusdemque tempestivam suscipiant meditationem, ut fiant paratiores ad solennem cultum Deo exhibendum diei

diei appropinquanti debitum.

2. Requiritur ſeparatio, a negotiis velim ſæcularibus, imo a factis, dictis, & cogitatis, quæ mundum ſapiunt, ita ut longe ſepoſitis curarum mundanarum involucris, divino cultui (ut par eſt) vacemus meliùs & invigilemus. 2 *Separatio.*

Tertio Requiritur Sanctificatio. Eſt hæc dies præ cæteris quieti deſignata, & tota Domino conſecranda eſt Verba precepti (obſervante doctiſſimo *Epiſcopo Wimonienſi*) *Deo attribuuntur, ſub modo deſtinandi, homini ſub modo applicandi.* Deus hunc diem ſanctificat, & ſacris uſibus deſtinat. noſtrâ præcipuè intereſt, diem adeo ſolenniter deſtinatum & ſanctificatum, uſibus ſacris tantummodò applicare. Nec *minimum quod ſic* Deo detrahendum eſt, ſed *maximum quod ſic* ei reddendum eſt Requiritur naturalis Diei (Artificialis non ſufficit) per quatuor & viginti horarum ſpatium ſanctificatio, inibiq; obeunda ſunt munia ad pietatem ſpectantia, nimirum meditando, concionando, audiendo, precando, legendo, necnon opera miſericordiæ præſtando. Ægrotos viſitare, egenos ſubleyare, vaçillantes 3 *Sanctificatio.*

erige-

erigere opera sunt huic diei propria & quam maximè consentanea. Nec excludo opera absolutæ necessitatis, modo necessitatis larvam obtentui non habeamus. Totus idcirco dies debetur Deo qualis a Daniele dicitur -- *Snereb bahar. Dan.* 8. 14. a Paulo νυχθήμερον, 2 *Cor:* 11.25. Et a Basilio ἡμερονύκτιον. Et memoriâ imprimis tenendum est, opera diei in die suo præstanda esse. Quolibet fateor tempore Deo inserviendum est; Ab hoc proposito ne latum unguem recedendum est, sed hodiè jure peculiari cultum uberiorem sibi vendicat Deus, vocationis sæcularis jam cessantibus officiis, quæ per sex dies licite possint exerceri. Sanctitas quolibet die exercenda est, sed peculiaris sanctificatio huic debetur diei præ cæteris. Hisce prælibatis, ut quæ sentio dicam dilucidius, visum est mihi Theses quasdam Isagogicas proponere.

Thes. 1. Quarum 1ma est Ad solennem Dei cultum, Tempus determinatum esse necessarium. Definitum aliquod tempus designatum fuisse ex institutione divinâ in quo a mundanis operibus vacantes

vacantes cultui divino incumbant homines, extra controverſiæ aleam longè poſitum arbitror. Recepta apud omnes gentes obtinuit conſuetudo, ut fixo quodam tempore, certiſq; diebus, ad numen illud quod pro ſupremo agnoverunt, invocandum colendumq; omnes convenirent. Fixum faiſſe diem religionis ergo exercendæ, vel ipſiſſima naturæ lex ſatis ſuperq; comprobat. Inter alia *Caudreius & Palmerus* viri pientiſſimi juxta & doctiſſimi hoc utuntur Argumento, a fortiori. *Si peccatum ſit per totius vitæ curriculum, ne unicum diem totum ſemel Deo conſecrare, Ergo, Lex naturæ cuique aſſignat unicum totum diem ſemel per totam vitam; ſed peccatum eſt contra legem naturæ, nunquam per totius vitæ curriculum Deo Unicum totum diem conſecrare. Ergo Lex naturæ cuique aſſignat unicum totum diem ſemel per totam vitam.*

Sequitur Secunda Theſis, ſolennis temporis determinationem, dependere nequaquam oportere, ab ullâ humanâ Inſtitutione. Oſtendat ſi velit & poſſit Eccleſia Licentiam ſibi unquam a Deo indultam, novos cultus procudendi pro arbitrio variabiles. Cultus *Theſ.* 2.

aliqua-

aliqualis qui prætextui habetur, si sit inventum hominum, ἐθελοθρησκεία audiret, diro devovenda Anathemate. Errat Ecclesia Militans, cui nunquam elargitus est Deus spiritum Infallibilitatis. Quamobrem satis dixerim, imo nimiũ, pro imperio ageret ulla Ecclesia ultravires & extra oleam longissimè evagatura, si definitũ tempus cultui Divino imponere, & pro arbitrio imperare præsumpserit.

Thes. 3. 3. Thesis est, temporis solennis Determinationem, ad Deum unicum temporis Dominum spectare solummodo oportere. Quippe quod creavit Deus tempus, eiq; una cum reliquis creaturis benedixit. Idcircò illud tempus cultui divino designatum, non tantum inter circumstantias, & adjuncta numerandum est, sed potius inter partes præcipui cultus Deo exhibendi.

Thes. 4. 4. Thesis est unum dari diem inter septem, qualibet septimana, determinatum, solennis cultus gratia, virtute quarti Præcepti impositum. Observandum est, quod in quarto Præcepto, est & Morale, Naturale positivum

vum. Quod Deus ſit colendus, quod Dies ei tota ſit conſecranda hæc ſunt moralia naturalia; ſed quod ille dies ſit præ aliis obſervandus, hoc eſt morale poſitivum.

Quinta Theſis eſt, quod Sabbatum Judaicũ abrogatũ eſt nec eſt Chriſtianis obligativum. Ceſſante enim iſtius legis ratione (ſeptimum intelligo diem a creatione) ſeptimum Inſtitutum erat a Deo Sabbatum in memoriam Creationis quo die ceſſavit Deus a ſuis operibus. Qui dies eouſq; & non ulterius obtinuit, donec grandius opus Redemptionis peragebatur, quo tum primum peracto, Apoſtoli diem Dominicam ſolenniter obſervarunt. *Theſ. 5.*

6. Et ultima Theſis eſt quartum Præceptum adhuc remanere, una cum ratione præcepti perpetuoq; remanſurum, Morale, Æternum, & immutabile, hujus quarti Præcepti vigore obſervandam eſſe Diem dominicam. Haud tantillum agnoſco ceremoniale in quarto Præcepto. Unus e ſeptem diebus vi quarti præcepti divino cultui deſtinandus eſt; quod præceptum indefinite, potius ſumitur pro *Sabbato* *Theſ. 6.*

non

non definitè pro *hoc Sabbato*. Non ultimus e ſeptem, ſed ſeptima pars ſubintelligenda eſt. Debetur enim Deo ſeptima pars temporis, & Dies ſeptimus ratione proportionis, licet non ille ſeptimus, ratione ordinis requiritur. quicunq; ergo ad literam interpretatur quartum Præceptum, de Sabbato Judaico tantummodo ſubintelligendum, fracto innititur ſcipione, & Εννεάλογον vice Decalogi (quantum in ſe fuerit) conatur ſubſtituere, & Sabbato Chriſtiano convitium facere.

Sed fuſiori harum Theſium explicatione ſuperſedeo, & jus Divinum Diei Dominicæ Argumentis a fortiori cienendis communire, operæ pretium futurum autumo.

Arg. 1. Primum Argumentum ita proponitur. Major debetur honor huic diei, quam cæteris, quoniam in Eccleſiæ Primitivæ Incunabulis, onera huic diei quam maxime propria, & conſentanea peragebantur; liquido patet hoc conſulenti *Act.* 20. *v.* 7. Εν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων ἡμῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον, ὁ Παῦλος διελέγετο

γελο αυτοῖς: In quo contextu quatuor notatu digniora ſunt expendenda: 1mo dicitur τῇ μιᾷ. Hinc *Beza* ex articulo adjuncto τῇ declarat verba illa indefinitè accipi non poſſe, pro quolibet die, ſed definite pro primo die Hebdomadis: μία καὶ πρώτη in unum coaleſcunt. Hebræi *uno* & *primo* utebantur prout terminis Synonymis; Sabbata communiter appellarunt dierum Hebdomadam. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, inquit jactabundus Phariſæus, hoc eſt, bis jejunia celebro in qualibet ſeptimana. Hinc prima Dies Hebdomadis pro prima Sabbati, ſecunda dies, pro ſecunda Sabbati, tertia dies pro tertia Sabbati quoad vulgarē loquendi formulam Judæis innotuerunt. Hinc dictum fuit *in anno uno*, hoc eſt primo Darii, *Danielis* 9. & v. 1. Non opus eſt ut teſtes mihi accerſam Criticos Lexicographos, præſertim cum *Calvinus*, *Muſculus*, *Pareus*, *Piſcator*, *Beza*, *Junius*, prædictam Interpretationem ſuis calculis comprobaverint, Adverſariorum complurium non obſtante velitatione. 2do Dicuntur συνηγμένοι, Fuit conventus. 3tio Fuit κλάσις τοῦ ἄρτου

ἄρτου nempè cænæ dominicæ celebratio. 4to Paulus ſequente die diſceſſurus concionem habuit coram Eccleſiâ. Ex hiſce præmiſſis liquido concluditur τάξις *Apoſtolica*, nempe primo die ſeptimanæ, quem Sabbatum Chriſtianum bono jure agnoſcimus, eccleſiam in Troade conveniſſe, inibiq; ad opera diei peragenda, nimirum *ſacræ Synaxeos* celebrationem, & verbi prædicationem ſe accinxiſſe. In quantum Scripturarum lectione aſſecutus ſum, me prorſus latet aliquem unquam diem aſſignatum fuiſſe, quo Eccleſia conveniebat, & talia peregit munia (qualium modo mentionem fecimus) quin iſte dies eſſet Deo ſacratus; *Shephardus*, *Sprintius*, & celeberrimi iſti Duumviri *Caudreius* & *Palmerus*, manibus pedibuſq; in noſtram concedunt ſententiam.

Arg. 2. Sequitur ſecundum Argumentum ab Inſtitutione Apoſtolica elicitum. Locus iſte Scripturæ ſingularis penitiore conſulendus eſt indagine, 1. ad *Corinthios* c. 16. v. 1, & 2. περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους, ὥσπερ διέταξα τῇς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιήσατε.

ἕσαται. Κατὰ μίαν σαββάτων ἕκαστος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω θησαυρίζων Quamvis quolibet die licita ſit eleemoſynarum collectio; diem proculdubio fixum in mandatis tradidit Apoſtolus, ὥσπερ διέταξα Quæ vocabula inſtitutionem liquidò indigitant Apoſtolicam, nec eam aliunde quam a Chriſto derivavit Apoſtolus; *Prius enim a Domino accepit, quam iis in præceptis tradidit*, 1. *ad Cor. c.* 11 *v.* 23. Inde *Beza* ex vetuſto exemplari, *Criſpinus & Wecheliana* 70. *Interpretum Editio* poſt κατὰ μίαν σαββάτων addiderunt ἀ κυριακὴ. Huncq; numero diem Hebdomadæ primum, & in locum Sabbati Judaici ſurrogatum fuiſſe acriter contendit doctiſſimus *Zanchius*. Jam *Dilemma* oritur utrinq; pungens, aut jure Divino, aut humano tantus honor huic diei debetur: ſi divino, noſtra Theſis ſarta tecta remanet: ſin humano jure, proculdubio inventa hominum ſupplicio oſtraciſmo graviori devoviſſet *Apoſtolus*. Siquidem e contextu ſatis conſtat, *Apoſtolum* ceremonialibus, & Typicis Judaicorum feſtorum obſervationibus interdixiſſe, & ne ungulam ἰδιοθρησκείας

intactam, ne micam fermenti Idololatrici, vel ſuperſtitioſarum feriarum ſuperſtitem reliquiſſe. Unde colligitur, cum Apoſtoli eſſent verbi Divini Amanuenſes, ſpiritu Infallibilitatis inſpirati, clave non errante gubernati, Eccleſiæ plantandæ & rigandæ gratia ἀφωρισμένοι, & cum per quadraginta dies poſt reſurrectionem Chriſti, ab ipſo certiores facti fuerint, de rebus ad regnum Dei ſpectantibus, fieri non poteſt, ut praxis Apoſtolorum, in celebrando primo die ſeptimanæ inſtar unici Sabbati, a mente Chriſti ſit aliena. *Praxis Apoſtolica*, ſæpius audit præceptorum interpretatio: nititur obſervatio Apoſtolorum, mandato Dei. *Eſtote inquit Apoſtolus imitatores mei, ſicut & ego ſum Chriſti*, 1. *ad Cor:* c. 11 *v.* 1. Nec opus erat mandato novo, cum illud vetus adhuc integram vim obtinuerit de die Dominico obſervando. Virtute enim 4ti Præcepti, una e ſeptem diebus Deo tota eſt conſecranda, quo conceſſo, de vola & veſtigio mandati, non eſt, ut ulteriorem moveamus controverſiam.

Arg. 3. Sed pergo ad tertium Argumentum

tum, ab ipsius Authoris nomine desumptum; Dicitur dies Dominica, dicitur Christus, Κύριος τοῦ σαββάτου. Quidni author, & Institutor ejusdem esset? Δεῖπνον Κυριακὸν ab Institutione Christi appellatur: Εὐχὴ κυριακὴ apud *Augustinum* appellatur, & ἡμέρα κυριακὴ, legitur in loco isto percelebri videlicet, *Apocalypseos* 1. & v. 10. Ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ. Pessimo utitur glossemate *Theophilus Braburnus* ad optimũ Textum corrumpendum, & obtorto ut (aiunt) collo hæc verba de domino creatore, & non de domino Redemptore subindicanda oblique detorquet & interpretatur. Haud secus poterit versutus ille interpres quidlibet ex quolibet elicere, & Cœnæ *Dominicę* eundem sensum affingere pereginum,

Atq; idem jungat vulpes & mulgeat hircos.

Ex loco præfato jusDiei Dominici divinum colligitur quoad doctrinam & praxin. Cui sententiæ, *Pareus*, *Bullingerus*, *Beza*, *Junius* & nescio quot sanioris Judicii Theologi unanimi consensu suffragantur.

Arg. 4. 4. Argumentum eſt, ab honore Chriſti reſurrectioni debite perſolvendo depromendum. Quum Deus Pater a ſuis requieverit operibus & eapropter diem ſanctificaverit, eſt par ratio, ut Filius diem ſanctificaret, cum a ſuis operibus requieverit. Omnes agnoſcimus opera Redemptionis grandiora fuiſſe & difficiliora operibus creationis. Fundamentum hujus Argumenti petitur ab Apoſtolo ad *Hebræos* 4. *v* 10. *Qui ingreſſus eſt in requiem ipſius, requievit & ipſe ab operibus ſuis quemadmodum a ſuis Deus*, Argumentum erat ſatis ſtrenuum ad obligandam Judæi conſcientiam; Quid quæſo impedimenti inhiberet, quo minus eum diem quo Chriſtus a ſuo grandi opere ceſſavit, obſervaremus?

Arg. 5. 5. Argumentum eſt eruendum, a Benedictionibus quas Deus eſt pollicitus hanc diem obſervantibus. Conſulendi ſunt *V.* 4. & 5. *C.* 56. *Iſaiæ Eunuchis qui obſervaverint Sabbata mea & elegerint id quo delector, apprehenderintq; fœdus meum, etiam daturus ſum eis in domo mea & intra muros meos ſpatium & nomen*

melius

melius quam filiorum, & filiarum, nomen perpetuum daturus ſum eorum cuiq; quod non excindetur. Et eſt alter locus notatu digniſſimus, qui haud abs re cum Sabbato Chriſtiano quadrare poteſt, nempe *Iſaiæ* c. 58. *v.* 13. *&* 14. *Si averteris a Sabbato pedem tuum, ne facias id quo delectatis die ſancto meo, & vocaveris Sabbatum honoraveriſq; ipſum, non excercendo, vias tuas --- tunc oblectabis te in Jehovâ & vehabo te ſupra excelſa terræ, & faciam ut fruaris poſſeſſione Jacobi patris tui, quia os Jehovæ loquitur.*

6. Argumentum deſumitur ab ultrice Dei manu Sabbatum violantibus pœnas infligente atrociſſimas. *Qui ligna collegit in Die Sabbati lapidibus ex ſpeciali Dei mandato obruebatur, Numerorum* 15. *v.* 36. *Profanatio Sabbati Judæis exitium intulit præſentiſſimum* 2 *Chronicorum* c. 36. *v.* 21. Quod ipſum peccatum tanquam cauſam & originem cujuſlibet mali *memoravit Nehemias* c. 13. *v* 18. Oculis perluſtranti Theatrum divinarum vindictarum, facile erit digito demonſtrari, & dicier Hic eſt nequam Sabbati immemor, fœdifragus, qui læſi ſabbati pœnas *Alg.* 6.

pœnas dedit graviſſimas, Ille inter opera ruralia jacuit interẽptus fulmine ſubitaneo, Hic artuum contractione multatus fuit; Ille inter exercitia ludicra ictu inviſibili percuſſus occubuit. πάντα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. 1 Cor. c. 10. v. 6.

Arg. 7. Ad ultimum tranſeo Argumentum ſc: Inartificiale a Teſtimonio & Authoritate petitum. Teſtimonium aliud eſt divinum, aliud humanum. Quod Chriſtus fecerit, qui eſt Sabbati Dominus, & Apoſtolorum veſtigia hac ex parte χὶ πόδας preminus, antehac probavimus, & bis recoctam cramben palatis apponere delicatulis mihi non eſt in animo. Supereſt, ſi Soli præeunti aliquale lumen præferre licuerit, Teſtimonia aliquot ſelectiora doctiſſimorum ſui temporis virorum veritatis illuſtrandæ gratiâ proponere. quorum Anteſignanus eſt *Ignatius*, qui Epiſtolâ ad Magneſios ita jubet: Ἑορταζέτω πᾶς φιλόχεις Θ τῷ κυριακῷ, τῷ ἀναστασίμου, τῷ βασιλίδι, τῷ ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. *Juſtinus Martyr* in fine ſecundæ Apologiæ fatetur, quod τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ

ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται. *Tertullianus* in Libro de Idolis & coronâ militum, *Cap.* 14to. *Diem Dominicam, quam vocat octavam a creatione, recenset inter solennitates Christianorum, Clemens Alexandrinus hunc diem nominavit* ἱερὸν ἦμαρ Stromatum libro 5to. *Cyprianus* in Epistolá 33. aliquem memoravit, *Dominico legisse*, & in Epistolâ 5. *hunc diem norat primum post Sabbatum, & Dominicum. Eusebius* meminit in Lib. 4 Historiæ & c. 22. *Dionysii Corinthiorum Episcopi, dicentis se sacrum diem Dominicum celebrasse.* Hinc usitatissima fuit quæstio apud Ethnicos, Christianis proposita, *num Dominicum servasti?* Respondebat, *Christianus sum, intermittere non possum.* Rem acu tetigit *Athanasius* in hæc verba, Πάλαι μὲν ἦν τοῖς ἀρχαίοις τὸ τίμιον σάββατον, μετέθηκε δὲ ὁ Κύριος τὴν σαββάτου ἡμέραν εἰς Κυριακὴν, καὶ οὐχ ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ ἀφ' ἑαυτῶν τοῦ σαββάτου καταφρονήσαντες. *Hilarius* in Prologo in Psalmos ait, *Ecclesiam in octava die, quæ est ipsa prima & perfecta sabbati, festivitate lætari. Basilius in pri-*

ma Sabbati, quam vocat principium dierum, asserit Ecclesiam, perficere deprecationes, uti constat ex c. 27. de Spiritu Sancto. Cui adstipulatur *Gregorius Nazianzenus*, in Oratione quadragesimâ tertia. Ὥσπερ πρώτη κλίσις τὴν ἀρχὴν ἀπὸ κωμικῆς λαμβάνει, οὕτω γὰρ ἀπὸ ταύτης ἑβδόμη τὸ σάββατον γίνεται, κατάπαυσις ἅπαντων ἔργων, ὅτῳ καὶ ἡ δευτέρα πάλιν ἐκ τῆς αὐτῆς ἄρχεται πρώτη ἅμα τῇ μετ' αὐτὴν καὶ ὀγδοὰς ἀπὸ τῆς περὶ αὐτῆς ὑψηλῆς ὑψηλοτέρα, καὶ θαυμασίας θαυμασιωτέρα. Christianum Sabbatum appellatur dies Dominica, apud *Chrysostomum*, in Homiliâ de Eleemosynâ, & apud *Ambrosium* Epistolâ 33. Et *in priorem Epistolam ad Corinthios* asserit *Chrysostomus* hunc diem ἄνεσιν ἔχειν καὶ πόνων ἀτέλειαν. *Augustinus* in Epistolâ centesimâ decimâ nonâ ad Januarium, & capite 13. inquit, *quod dies Dominicus non Judæis, sed Christianis Domini resurrectione declaratus est, & ex illo habere cœpit suam festivitatem.* Et idem *Augustinus* in sermone de Tempore, ducentesimo primo, *Observemus inquit, diem dominicum, fratres, illumq; sanctificemus,*

mus, ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbato. Huic accinuit ipſe *Breerewoodus*, cauſæ noſtræ licet ὡς ὁπὶ τὸ πολὺ Adverſarius, *Oportere Chriſtianos, Diem dominicam æquè colere, ac Judæi ſuum coluerunt Sabbatum.* Inſuper inter ferias *Valentis, Theodoſii & Arcadii*, Imperatorum legibus confirmata erat dies Solis, quem Donicum rite dixere majores. *Barnabas Briſſonius* in libro de dominico & ſpectaculis, decretum memorat ex codice Theodoſiano depromptum, in hæc verba. *Dominicæ, quæ totius ſeptimanæ prima dies eſt omni Theatrorum atq; Circenſium voluptate per univerſas urbes earundem populis denegata, ut totæ Chriſtianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.* Cui cognatum eſt Decretum *Ivonis Epiſcopi Carnotenſis* cap. 13 quartæ partis, *Die (inquit) Dominico nihil eſt agendum niſi Deo vacandum, nullaq; operatio in illo die Sancto comperiatur; niſi tantum hymnis & Pſalmis, & canticis ſpiritualibus, dies illa tranſigatur.* Cui affinis eſt cenſura *Concilii Laodicenſis*, Canone 29. *Non licet Chriſtianis Judaizare, hoc eſt diem Saturni, inſtar Sabbati obſervare, ſed eo die illicitum*

licitum esset operari, debitum Dei Dominicæ cultũ persolvendo, si quis hac ratione Judaizaret, sit Deo & Christo Anathema. In concilio *Rom:* prohibebatur Sabbati judaici feriatio. *Alcuinus* de divinis offic c. 17. sic ait *Dominicum Diem ideo religiosâ solennitate sanxerunt, quia in eodem, Dominus & Redemptor noster a mortuis resurrexerit, quiq; ideo Dominicus appellatur, ut in eo a terrenis operibus vel a mundi illecebris abstinentes, tantummodo divinis cultibus serviamus.* Consulatur *Baronius* Annis 57. & 58. & trecentesimo vicesimo primo. Consulendi sunt etiam *Torniellus* Tomo primo & pagina 92. *Lavaterus* in Nehemiam, Pererius in Genesin, *Medus* Cantabrigiensiũ decus simul ac ornamentum, *Tilenus* Lib 1. c 44. *Hospinianus* de Festis Christianorum cap. 8. Et *Episcopus Wintoniensis contra Traskium.* Inter nostrates instar omnium celebrandi sunt orthodoxi scriptores *Candreius* & *Palmerus*, Par doctissimum, quorum unus militat adhuc bonam militiam in terris, alter triumphat in Cælis, Cæteriſq; (absit dicto Invidia) suus debetur honor viris sane integerrimis, quales sunt *Greenhamius*,

Ju-

Leins, Walkerus, Gowgius, Bernardus, Shephardus, Sprintius, Junius, Ameſius, Twiſſus, Johannes Whitus, qui Sabbati redivivi vindices acerrimi, de Eccleſia Dei ſtipendia meruerunt honorificentiſſima. Quod ſupereſt tribus expediam Corollariis.

1, Si Dies Dominica ſit tantummodo prima dies ſeptimanæ jure Divino ſancita, cui peculiari jure ſolennior debetur honor, hinc Libertinorum Enthuſiaſmi in æquilibrio penduli in caſſum cedent, & Anabaptiſtarum læſa cerebra quemcunq; diem inſtar Sabbati ſomniantia in fumum evaneſcent.

2. Si dies iſta ſit Deo tota conſecranda, & opera Dei, noſtra nequaquam ſint peragenda, hinc longiſſimè exulant exercitia ludiera, otioſæ in campis deambulationes, vana ſpectacula, cæteraq; id genus Laxamenta corpori recreando deſignata, a Chriſtianorum confinio remotiſſime exterminanda. Sive ſint luſus honeſti ſive inhoneſti (ac ſi diſtinguerent de albo & nigro diabolo) ſive ſint moderati

vel

vel immoderati, tempeſtivi vel intempeſtivi, quoniam repugnant Diei Dominicæ ſanctificationi, per me licet in æternum amoveantur Omneſq; aliæ quæ his conſimiles inſtar foliorũ ficulneorum, cuduntur diſtinctiones, de ponte dejiciantur, quibus nuncius remittatur non iterum rediturus. *Præſtat (inquit Auguſtinus) arare, quam ſaltare in Sabbato.* Munus noſtrum eſt meditari, precari, verbi Divini Prædicationi intereſſe, infirmos conſolari, egenos ſublevare, & ad ſingula munia ad pietatem ſpectantia nos alacrius accingere. Cavendum eſt nobis ipſis, ne crapulæ & ſomnolentiæ indulgeamus, ſed ſeveriores oportet nos excubias agere, ut prævius fiat apparatus ad diei ſequentis munus obeundum.

3. Ultimo toti totis viribus invigilemus, Diei Dominicæ ſanctificationi quoad dicta, facta, & cogitata, quoad totum hominem, totumque hominis. *Paterfamilias, Præfectus, Ephorus, Magiſtratus, Miniſter Evangelii*; Ad unum omnes pro ratione officii ſibimetipſis demandati, neceſſe eſt ut per ſe & per

aiios

alios, *Sabbato Dominico* proſpiciant invigilentq; Deo in totum conſecrando. Ita fiet, ſi Sabbatiſimus cultores pientiſſimi & Vindices acerrimi in terris, ut tandem æterni Sabbati in nova Hieroſolyma compotes evadamus.

FINIS.